Ms. 79

K 9 Phlg 16

Prolegomena

Quemadmodum duo potissimum bona homines a brutis animantibus segregant, ratio quippe et oratio: sic inter homines, hi maxime caeteris antecellere solent, qui pulcherrimum hoc animi et linguae vinculum non modo non dissolvunt, sed etiam usu et exercitatione constringunt arctius. Ita enim sumus a natura comparati, ut vel mediocrem intelligendi prudentiam majori prosequamur laude, si probabilis dicendi varietas et copia accesserit, quam illius absolutionem perfectionemq; a sermonis artificio et venustate sejunctam. Unde summa commentationis (: i. e. meditationis :) et oris necessitudo apparet. Etsi vero sapienter cogitandi et ornate dicendi scientia semper re et natura sua cohaeserit: tamen nonnullorum hodie culpa accidit, ut aliam intelligendi et philosophandi, aliam dicendi et eloquentiae disciplinam esse opinarentur. Hinc, ut jam olim questus est Cicero III. de Orat. cap. 16. „discidium illud extitisse, quasi linguae atq; cordis, absurdum sane et inutile et reprehendendum, ut alii nos sapere, alii dicere docerent. Hinc etiam haud raro usu venit, ut hi, qui multa de stilo ambitiose garriunt, illis Cursoribus simillimi evadunt, qui apud Romanos intra Carceres stabant, et narrabant aliis, quomodo praeclari cursores cursitaverint, sed ipsi currere nesciebant, adeoq; hi saepissime ne sanam quidem periodum effingere ipsi possunt. Vera sane et incorrupta dicendi salubritas cogitandi arte nititur. Sic de Latini Sermonis usu recte olim Jo. Clericus in Arte Critica Part. II. Sect. 1. Cap. 2. „Latine scribentes, inquit, nos, „ut ita dicam, Latine cogitare Unde vero hanc cogitandi vim, qualem hic quaerimus, eloquentiae studiosus discet? profecto non ex Scholastica quadam philosophia, aut Dialectica, sed ex latifundiis bonarum artium. Cogitationis primum anima est Historia, exemplorum vis, antiquitatis iter, lectio optimorum Librorum Veterum, observatio deniq; et diligens contemplatio eorum, quae a Graecis Romanisve praeclare dicta fuerunt. Et quoniam saepissime video, illorum culpa, qui verum Latinitatis sensum minime tenent, vera nos hodie rerum vocabula amisisse, nec amplius

fermi

Ms. 79

Prolegomena.

ferme inter. loqui et dicere, inter. difertum, facundum, et eloquentem distingui; necessarium esse judico, quantum fieri potest, brevissime ostendere, qualem amicitiæ vim tribuerint veteres. Scilicet, loqui et fari solent qui oratione populari utuntur, qua qui carent, infantes nominantur. Disserere et disputare omnes dicuntur, qui doctrinæ locos quosdam interpretantur, exponunt, demonstrant. Dicere contra, solent, qui causas certis in personis temporibus locatas orant. Hinc præclare Cicero in Orat. c. 32. disputandi, inquit ratio et loquendi Dialecticorum sit, Oratorum autem dicendi, unde sequitur, ut is, qui recte et commodè loquitur, nullo modo propterea eloquens, sed summam, difertus haberi debeat. Hinc ratio intelligitur, cur Antonius apud Cicer. in Orat. c. 5. dicat: difertos se vidisse multos, eloquentes vero perpaucos.

De Rhetorica Universa.

§. 1. Rhetorica est ars, docens eloquentiæ &c Rhetorica ἀπὸ τῆς ἐρεῖν dicere, unde a 3. prat. pass. ἐῤῥήθαι oritur ῥῆμα et ῥήτωρ:) Latinis nihil aliud est, nisi eloquentiæ magistra. Differt ab ipsa eloquentia eodem modo, uti efficiens causa a re effecta, unde eadem discrepantia Rhetoris et Oratoris nascitur, quorum alter dicendi præcepta tradit, secundum Cicer. 1 de Orat. c. 18. alter reapse dicit ad persuadendum accommodate, secundum eundem Cicer. 1. de Orat. c. 31. Cum vero paulo ante monuerim dicendi facultatem a rerum contemplatione sejungi non oportere, aliudq esse loqui et fari, aliud dicere; non opportunius fane vis et ratio hujus disciplinæ demonstrari potest, quam eandem ad Dialectices similitudinem dirigendo. Dialectica enim judicandi vias persequitur, quam propterea Stoici disputatricem appellarunt, teste Cicer. in Topicis cap. 2. quæ quidem tenenda Oratori est, unde ars nostra Aristoteli, quasi ex altera parte respondere Dialectica dicitur, ex interpretatione Ciceronis in Orat. c. 32. Verumtamen Dialectica et Oratoria alio modo et alio fine eadem docet. Dialectica de rebus mere intelligentiæ breviter et minute veritatis duntaxat ratione habita disserere solet. Oratoria vero facultas, hæc generatim intellecta, personis hominum, locis, temporibus alligat secund. Cicer. 1 de Orat. c. 13. Quo ratio est, cur Dialectica quasi constricta et contracta eloquentia, justa vero eloquentia Dialectica dilatata Ciceroni dicitur in Brut. c. 90. præterea, cur Zeno auctor philosophiæ Stoicæ manu demonstraverit, quid inter eloquentiam et dialecticam interesset: cum enim compressérat omnes digitos, pugnum fecerat, Dialecticam ajebat hujusmodi esse; cum autem diduxerat, et manum dilataverat, palmæ illius similem eloquentiam esse dicebat auctore Cicerone in Orat. c. 32. Præterea fine differunt. Dialectica enim tantum uniuscujusq rationis summam docet. Rhetorica contra non doceri modo, sed delectari etiam et moveri audientes legentesq vult h. e. orationem multitudinis sensui et auribus accommodandam esse præcipit ad oblectandos animos, ad impellendos eos ad ea persuadenda audientibus, quæ non auriculis statera, sed quadam populari trutina examinantur vid. Cicer. II. de Orat. c. 38. Inde liquet dialecticam non modo Rhetorices partem esse, sed etiam qui illam norunt, minime sequi, ut hanc etiam norint. Rhetores propterea cursoribus, Dialecticos iis, qui lentissime incedunt comparat Aristides in Platonica Oratione p. m. 268 et 69.

§. 2. Eloquentia est facultas &c Cum vero Rhetorices natura in eo sita

sit

sit, ut futurum Oratorem et docere, et delectare, et movere jubeat; necessario sequitur ut Eloquentia, tanquam filia Rhetorices genetrici suae minime sit dissimilis. Ideoq; uti Oratoris, sic ipsius Eloquentia est dicere ad persuadendum accommodate secund. Cicer. 1 de Orat. c. 31. Quod ut recte atq; ordine fiat, ejusmodi profecto argumenta ad dicendum legi non debent, quae certis et necessariis doctrinae alicujus legibus nituntur, sed in communi omnium intellectu posita. Sic non tolerabilis foret Orator inter Theologos, qui ex. gr. de Servo Arbitrio, de Gratia particulari, vel de alio simili Christiana doctrinae capite: inter Juris Consultos, qui de usucapione, de acquirendo rerum dominio, de cernenda hereditate: inter Medicos, qui de Physiologicis aut Anatomicis quibusdam capitibus: inter Philosophos, qui de electricitate, aut aëre fixo, de commercio animae et corporis ex instituto dicerent. Haec omnia sunt Scholae non Concionis. adeoq; ineptiri sunt, qui, quocunq; in loco, quoscunq; inter homines visum est, de rebus aut difficillimis, aut non necessariis disputare solent, quos etiam videt Cicero II. de Orat. c. 4. Eloquentia vero sibi subjectas habet res in communi mente quasi impressas, ante oculos positas in usu quotidiano, in moribus denq; hominum collocatas, quarum rerum materiam messe in memoria rerum, in prudentia civilis scientia, (: vulgo Politica :) in artium bonarum latifundiis omnes vident. Deinde quae per se jejuna sunt, aspergere et distinguere debet Orator verborum sententiarumq; jucunda quadam varietate. Unde triplex oritur virtus; perspicuitas in docendo; gravitas ad conciliandum, et vis ad vincendum.

§. 3. Quocunq; autem posita sunt &c. Ex antegressis patet, tria Eloquentiae signa esse pro triplici Oratoris officio; perspicuitatem, copiam, ornatum, e quibus nullum est, quin communi vinculo Oratoris vim complectatur. In quo autem est illa vis? Cicero respondet, in rebus et verbis in Partit. Orat. c. 1. Quocirca misere falluntur omnes, a Cicerone etiam reprehensi III. de Orat. c. 6. qui tanquam ab animo corpus: sic a rebus verba sejungunt, quorum interitu fieri neutrum potest. Ut enim dilucida sit oratio, non sufficit verba esse plana et aperta, sed opus quoq; est rebus accurate cognitis, neq; rerum claritas verborum deformatione pravitateq; adjuvari potest, quoniam alterutrius facultatis lumina alterutrius tenebris facile extinguuntur. Porro copiosam orationem nulla unquam verborum ubertas omnibus suis divitiis efficiet, sed rursus apta et nexa cum rerum apparatu, recte ait Cicero III. de Orat. c. 31 „repia sua natura verborum copiam gignit., Tandem ut ornata existat Oratio, si-

milis

milis rerum et verborum necessitudo in causa est, rebus quippe a sententiarum acumine, verbis ab ipsa collocatione conclusioneq; splendor accedit.

§. 4. Unde fit, ut Rhetoris &c. Recte Rhetor Noster cum Cicerone in Partit. Orat. c. 1: omnia Rhetoris praecepta in duo potissimum genera abire jubet; ut doceat primum res invenire et collocare, id enim est, quod Noster dicit: inventis recte uti. tum res ingeniose, apteq; repertas similibus orationis virtutibus enuntiare, proprie enim in rebus invenire, in verbis eloqui dicitur. Huc spectat illud Quintiliani III. Instit. Orat. c. 9. per omnes, inquit materias, totumq; earum corpus aequaliter fusa est inventio et elocutio.

§. 5. Prima igitur Rhetorica pars est &c. Quia igitur omnis ratio doctrinae Rhetoricae ad duas referri partes commode potest; non opus est profecto quintuplici veterum partitione, quam nonnulli incoluerunt, inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam et pronunciationem, veluti Cicero 1 de Orat. c. 42. ubi ait. in ipsa ratione dicendi, excogitare, disponere, eloqui, meminisse, agere. Vel si tamen nondum me poenitet Rhetoris Nostri sententiae, qui totam dicendi scribendiq; facultatem duarum partium finibus coërcuit, omnesq; praeceptiones suas vel ad inventionem, vel ad elocutionem retulit. Interim non, mediocris memoriae vis est, uti enim actio in dicendo dominatur, ita memoria vitam quasi et spiritum orationi conciliat. Sane Quintil. prudenter XI. Instit. Orat. c. 2. „memoria, inquit, facit promti ingenii famam, ut illa quae dicimus non domo attulisse, sed ibi protinus sumsisse videamur. Artem autem memoriae, quam μνημονευτικὴν Graeci vocant a Simonide Ceio, viro insignis memoriae prolatam esse testatur Cicer. II. de Fin. Bon. et Mal. c. 32.

PARTIS PRIMAE
de
INVENTIONE
Sectio Ia
Cap. I.
De Inventione Universa.

§. 6. Inventio est facultas videndi &c. Cum Oratoris sit videre quid, et quomodo dicat, per se apparet priori officio satisfieri non posse, nisi res rationesq; ad persuadendum idoneas invenire didicerit. Recte sane Cicero in Partit. Orat. c. 2. primum, inquit, quaerere debet Orator, ut inveniat, et quemadmodum fidem faciat iis, quibus volet persuadere. Efficies enim

omnis

omnis rerum materies pleni et perfecti Oratoris ingenio subjecta est; non omnis tamen singulis hominum, locorum, causarum generibus congruit. Proinde Scripturus dicturusve commentatione i. e. meditatione paratos debet habere locos, qui ad singularis cujusque causa usum valent. Inventio enim est, definiente Magist. Herenn. I Rhetor. c. 2. excogitatio rerum verarum aut verisimilium, quæ causam probabilem reddunt, sive ut recte Rhetor Noster, facultas cernendi in unaquaq re, quid in ea sit ad persuadendum idoneum. Aristotelem fortasis secutus, qui tamen alius definiti rationem habet, illi enim I Rhetor. c. 2. ipsa Rhetorica dicitur: δύναμις περὶ ἕκαστον τῶν θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν. Non subtiliter satis ut reor, tametsi sciam illud genus defendi a Vossio in Partit. Orat. Libr. I. c. i. quoniam Rhetorice non ipsa animi virtus insita qualem appellamus facultatem, sed illius virtutis rectrix est. Melius contra Rhetori Nostro ipsa Inventio dicitur facultas. Hæc autem vis sive animadversionis sive curæ dum perscrutatur locos ex quibus argumenta eruuntur, talia potissimum seligit, quæ ad persuadendum conducunt. Huc enim omnis labor et vigilantia Oratoris tendit, ut rem quamcunq propositam audientibus legentibusq persuadeat. Quo fine cum Eloquentiam commendari audiunt nonnulli Oratoriæ facultatis rudes Artem nostram in contemtum adducere conantur, quasi cum Orator persuadeat, audientibus fucum facere verisq legibus insidiari se velle demonstret. Si enim, ajunt vulgo verum et certum curæ cordiq haberet, nam tam persuadendi quam convincendi studiosus foret. Sed hanc judicii levitatem oblique reprehendit Rhetor Noster, ostendendo primum Latini Sermonis rationes non pati ut persuadendi verbum angustis duntaxat verisimilitudinis limitibus circumscribatur, imo latius patere omnesq interdum juste demonstrationis vias complecti. Sic in re certissima, in argumento philosophico Cicero usurpat: „esse Deos, inquit, persuaderi mihi non opinione solum sed etiam ad veritatem plane velim I de Nat. Deor. c. 22. Similiter cum quis dicitur docuisse aliquid, non persuasisse, id volumus, ut rem quidem posuisse aliquem, sed ejus fidem idoneis argumentis nondum fecisse significemus. Jam vero cum Orator, per ea, quæ certa sunt, fidem dubiis rebus afferat, (quæ natura est omnium argumentorum, unde probationes dicuntur, Græcis, nominatim Aristoteli πίστεις I Rhetor. c. i.) facile qualis et quanta sit persuadendi ratio intelligitur. Donus autem vir in pri-

mis

mis esse debet Orator, propterea falsa nos non credere jubet, aut colores undiquaq congerit, quibus audientium simplicitatem ludificetur, sed rem per se credibilem argumentorum copia ita volvit et versat, ut non modo intelligentia veram esse agnoscat, sed etiam appetitus in causam ejus properdeat, et ad id quod vult impellatur. Deinde, convictionem cum malunt ejus generis homines, satis quid dicant, se non intelligere reapse produnt. Ut us enim sit vox ipsa, qua utuntur, vim certe et potestatem ejus minime capiunt, quoniam sensu Latino nemo convincitur, nisi pravus, imprudens, indoctus, veluti repetundarum convictos ordine Senatorio movit Cæsar, teste Sveton. in Cæsar. c. 43. eodem pacto in hoc ipso te convinco non inhumanitatis solum sed etiam amentiæ apud Cicer. 2. Philip c. 4. ita: convicti errores Epicuri apud eund. II de Nat. Deor. c. i. et sic in centenis aliis locis. Nihilominus tamen, quamdiu docet Orator, tamdiu curare debet, ut causam suam optimis argumentis corroboret et confirmet, sine qua demonstratione oratio ejus in loquacitatem degeneret.

§ 7. Primum autem Inventionis &c. Ut autem certa et immutabili lege regamur, quid generatim amplecti et sequi in negotio Inventionis nos oporteat, ante omnia decet nos audire elegantem præceptionem Rhetoris Nostri. Recte primum auctor est Rhetor Noster, et præcipit, cavere nos oportere, ne recentiores quosdam Rhetores audiamus, qui animam Inventionis esse putant argumentum quoddam Orationis, ut loquuntur, generate, novum tamen, jucundum, et delectabile. Deinde ne nobis persuadeamus aliud quiddam ad dicendum requiri, præter id, cujus gratia dicendi facultas nobis est data. Cujus præceptionis sane quam egregiæ vis intelligi non potest, nisi veterem Eloquentiæ disciplinam tenuerimus. Omnia quippe argumenta in duplex genus distribuerunt Antiqui, sive quæstionis infinitæ, sive finitæ teste Cicer. I de Orat. c. 31. illam Græci θεσιν nuncupaverunt, Latini quæstionem secundum Cicer. in Topic. c. 21; hanc Græci ὑποθεσιν, Latini causam appellarunt secund. Cicer. in Topic. c. 21. θεσιν i. e. quæstionem a propriis personis et temporibus ad universi generis orationem traductam recte ab Oratoris officio removit Cicero I. de Invent. c. 6. Neq ullus veterum Orator aliud dicendo tractavit, nisi controversiam cum personarum et temporum interpositione. Ab hac sive consuetudine sive prudentia desitum paullatim est, cum nonnulli hodie Rhetorices

Magistelli

Magistelli negarent aliquem trium dicendi generum, tanquam Demonstrativi, Deliberativi, Iudicialis hodie supersese usum, atq; in istorum locum suffiere conarentur, nescio quod Didascalicum dicendi genus, unde profeminata est illa inveniendi Thematis generalis praeceptio, non modo inutilis, sed etiam Oratoriae facultati et ingenio inimica. Nihilominus tamen vix hodie remedio locus est, ubi quo vitia sunt, moribus probantur. Attamen hanc consuetudinem a Veterum instituto alienam passim notavit Rhetor Noster, tanquam paragr. 76. 135. et passim alicubi.

§. 8. Vera eloquentia non indiget &c Ceterum ars et facultas Oratoria proprie in alia re nulla, nisi finita, h.e. ea, quam ipsa dicendi occasio subministrat versatur. Non, ac si infinitarum quaestionum nulla prorsus haberi possit ratio, verum ne principis ille argumenti locum occupet, neu aliter nisi ad exornationem amplificationemq; singularis causae adducantur. Omnes enim quaestiones infinitae per digressionem possunt inseri judice Cicer. II. de Orat. c. 31 et 32. Verum scisciteter aliquis, quid igitur doctrina omni de Inventione opus est, si temporum, locorum, hominum contemplatio sua sponte dicendi argumentum offert? imo vero quam maxime ea indigemus, quoniam pro innumerabili varietate locorum, temporum, hominum, non omnia dici possunt, et debent, quae fortasis possent coacervari, sed ingenio opus est, ut causa illa verisimilis evadat, audientibusq; persuadeatur. Haec autem raro assequimur sine quadam locorum Rhetoricorum investigatione et praeceptis.

§. 9. In omni Inventione &c Omnis autem inveniendi ars et facultas in duabus potissimum rebus cernitur: in materia, et in tractatione materiae. Per materiam non intelligitur Thema generale, quod vulgus Rhetorum appellat, sive argumentum, sed omnium rationum quibus causa, i.e. quaestio finita adjuvatur complexio. Argumentum vero hoc sensu, cum sit probabile inventum ad faciendam fidem, ut recte definivit Cicero in Partit. Orat. c. 2 facile apparet cujus generis esse debeant fontes unde manent, et ducantur illa; quae tamen nihil ad persuadendum valent, nisi his apte et scienter utaris. praeclare Saltem Antonius, non Crassus ut Rhetor Noster scribit, „nequaquam, inquit, satis est reperire quid dicas, nisi id inventum tractare possis ap. Cicer. II. de Orat. c. 41.

§ 10. Itaq; primum dicemus &c Agendum igitur est primum de omni locorum genere, unde argumenta peti debent: deinde quo pacto ista argumentorum congeries judicio dispensari debeat, vel ad fidem causarum singularium probabiliter accommodetur, indagandum erit.

Caput II.

Caput II.

De Materia Inventionis Universa.

§ 11. Materia, quam inventio &c Latini proprie materiam vocant, quicquid ligno, lapide aere constat, manuq; artificis tractari potest. Quo vox ad rem intelligentiae traducta omnem denotat apparatum, unde ducuntur causae cujusq; ornamenta, et cujus beneficio res, de qua agitur, formam suam et lumen accipit. Eo sensu sumitur materies digna facultate et copia V. ad Divers. Epist. 12. Quoniam autem omnis oratio frustra futura esset, nisi quod aptum est locis, temporibus et personis inveneris, illud omne, in quo animus cogitantis occupatur, Materia Inventionis Rhetoricae appellari potest. vid. hic Cicer. I. de Invent. c. 5. Omnis autem materia quam mente et cogitatione tractare debemus, tribus potissimum rerum notis absolvitur, rationibus quippe, moribus, et affectibus, sive ut Graeci loquuntur, λόγοις, ἤθεσι et πάθεσι. Ipsa enim dicendi ratio, tribus ad persuadendum rebus est nixa. 1um ut probemus vera esse ea, quae dicimus aut defendimus 2do ut conciliemus nobis eos, qui audiunt. 3um Ut animos eorum, ad quemcunq causa postulavit motum, vocemus, Ciceronе magistro II. de Orat. c. 27. Etsi enim alio loco Cicero in Partit. Orat. c. 4. artis hujus materiam ad duo genera referre videtur, ad fidem, inquiens, et ad motum adhibenda est omnis oratio: tamen, quin fides vocabulo duplicem et docendi et conciliandi vim complexus sit, dubitandum non est, nam saepius, praesertim in Orat. c. 21 sic rationem concludit: is vero erit eloquens, qui ita dicit, ut probet, ut delectet, ut flectat. Probare necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriae, Legatur quoq; Quintil. III. Instit. Orat. c. 5.

§ 12. Latissime patent λόγοι &c Rationes, sive ut Cicero loquitur in Orat. c. 14. argumentorum notae tam late patent, quam doctrinarum omnis generis fines. Uti enim innumerabilis est dicendi materia: ita etiam argumenta docentia nullis paene terminis coarctari possunt. Interim omnis argumentatio duobus vulgo includitur generibus: alterum est commune, sive ut semilatini loquuntur generale, alterum singulare. Commune imitatur philosophantium doctrinas, de quibus argumentandi et ratiocinandi modis infra ad paragr. 18. necessaria afferam. Singulare contra est ejusmodi, quod ad certam causam pertinet

tang

tamq varium est, atq ipsarum causarum formae et exempla.

§ 13 et 14. Proprii loci &c. Sunt enim &c In eo autem, quotquot sunt et fuerunt sanierum Rhetorum conveniunt tria esse causarum genera. 1um Demonstrativum, quo laudantur aut vituperantur homines et res. Alterum Deliberativum quo suadetur, vel dissuadetur aliquid. 3ur Judiciale quo vel homo vel res accusatur vel defenditur. Eo saltem modo judicarunt principes Rhetorum, tanquam Aristoteles, qui judice ipso Cicerone, at quanto magistro! huic arti plurima adjumenta atq ornamenta subministravit. is vero tribus in generibus rerum versari Rhetoris officium putavit, demonstrativo, deliberativo et judiciali teste Cicer. 1. de Invent. c. i. Plura sane causarum genera nemo veterum Rhetorum, nec duumviri illi, quos jam nominavi, nec Dionys. Halic. nec Quintilianus nec alii sumserunt.

§ 15. Neq vero existimandum est &c Cum vero nihil non in haec causarum genera cadat; mirandum sane est extare potuisse nostra et patrum aetate viros doctos, qui oratoriae facultatis genera praeter rem minuerent, augerentve; vel totam illam veterum partitionem nostris moribus inutilem factam esse opinarentur. Contra illorum opinionem tenendum est hoc. necessario nos versari oportere, vel in eo, quid fiat, aut quid factum sit, aut quod futurum sit: alias dicendi materias seu paciores seu plures comminisci non licet. Etenim infinitae quaestiones non sunt propriae oratorii ingenii, sed finitae h. e. in personis et temporibus fixae et locatae. Multo intolerabilior est illorum opinio, qui hanc causarum distributionem ab antiquis Rhetoribus institutam prorsus vanam esse hodie censent. vid. Heinecc. Fundam. Stili Part. II c. 2. paragr 1 §§ 4 ubi, enim quaerunt, ejusmodi Senatus? ubi Athenienses ἐκκλησίαι sive comitia? ubi conciones populi apud Romanos? ubi forum? ubi actores et rei? quasi quod in una alterave civitate sublatum sit hodie et propterea in omnibus evanuerit, aut quod tempora mutarunt, id doctrinae et artis universitas mutare debeat. imo vero falsum est, in nulla hodie per Europam civitate earum causarum usum superesse, cum per Batavos, Gallo Tranicos, Anglo-Britannos, concilia et fora extent, in quibus vel de re publica, vel de jure

loca variant, res ipsa manet.

re, oratorio quodam apparatu dicere licet, et laudi ducitur. Sumamus vero deesse illam veterum senatoriam dignitatem, desiderari hodie conciliabula populi, fora nostra Graecorum et Romanorum foris dissimilia esse, num idcirco ipsa dicendi vis et ratio obliterari poterit? Sumamus quoq eloquentiam, quae est in justis orationibus exulasse e curiis et foris: tamen etiam nunc extat in Epistolis, in quibus nullum genus est, quod non vel laudem, vel vituperationem, vel suasionem, vel dissuasionem, vel accusationem defensionemve contineat. Errant igitur, qui illarum dicendi causarum, nullum hodie superesse usum existimant, ut indicavi in Quaest. Litter. Rhetor. Nro 5.

§ 16. Unumquodq autem genus causarum &c Singula causarum genera suos sibi sigillatim locos habent, unde argumentorum copia petitur. Loci vero, Graecis τοποι sic appellati primum ab Aristotele sunt quasi sedes, e quibus λογοι sive argumenta promuntur, vel in quibus argumenta latent, et inclusa sunt, ut veteres loquuntur Rhetores, tanquam Cicero in Topic. c. 2. Ac prioris quidem generis Demonstrativi locos esse principes, honestatem et turpitudinem. alterius i. e. Deliberativi utilitatem vel detrimentum. Tertii, videlicet Judicialis justitiam vel injustitiam, rerum natura jubet. Quorum locorum usus demonstrabitur ad Cap. V. et duo proxima.

§ 17. Sed loci isti non ita proprii &c Etsi vero uniciq causarum generi suos assignarunt locos Rhetores; tamen hi ipsi non perpetuo sic inhaerent singulis, ut in aliis non aeq locum invenire possint. Proinde in suadendo certatur saepissime utrum honestati potius an utilitati consulendum sit, vid Cicer. II. de Invent. c. 4. Eodem pacto accusatio aut recusatio (: ita saepe veteres defensionem vocant:) nec honestatis turpitudinisve, nec utilitatis vel incommodorum causas refugit. atq sic plerig argumentorum loci haud raro simili implicati fine in diversa causarum genera possunt transferri. Exemplo nobis sit Oratio Ciceronis pro Marcello, cujus argumentum princeps est, gratiarum actio pro impetrata facultate reditus in patriam M. Marcello data, deeq sine omni controversia ad genus demonstrativum pertinet. propterea hoc perfectissimo panegyrico laudat et extollit clementiam Caesaris ab initio orationis usq ad cap. 6. Sed cum suspiciones Caesaris

de ipsa

de insidiis sibi structis inanes esse ostendit, simulq. eos defendit, a quibus sibi maxime timebat Caesar. Generis causarum judicialis argumenta inserit cap. 7. tandem cum ei suadet, ut vitae et saluti suae consulendo rempublicam constituat, locos generis deliberativi consectatur a cap. 8 – 10.

§ 18. Atq; etiam sunt loci quidam &c. Praeter illos autem locos, qui proprii causarum et inhaerentes esse debent, sunt etiam communes, qui omnes causarum formas amplectuntur. Cum enim laudamus virtutis praestantiam, novitatem, admirabilem eventum depingere; cum vicissim reprehendimus, vitiorum asperitatem vehementer nos odisse demonstramus; ubi suademus et dissuademus utilitatis vel copia vel mediocritas ostendenda est; cum accusamus facinoris atrocitatem in summam adducimus invidiam. Comparationi quoq; locus est, ut quid altero honestius, quid utilius, quid magis legitimum sit cognoscant et intelligant audientes legentesve. Eo spectat illa locorum universitas, de magno et parvo, sive ut Aristoteles Graece loquitur περὶ μεγέθους καὶ ἐλαττόνος Libr. 2. Rhetor. c. 3. Praeterea inutilis foret omnis laudatio, aut deliberatio nisi rem aut fieri posse, aut factam esse apparuerit. Sic v. c. Cicero Pompejanis dissuasit belli aleam, negans quippe futurum, ut cum integri pares non fuissent Caesari, nunc fracti superiores esse possent VII. ad Divers. Epist. 3. Similiter in accusatione diligenter approbanda est, rei perpetratae veritas, amovendaq; sunt signa, e quibus rem ab eo fieri potuisse, aut factam esse neges. quo loco de possibili et impossibili recte usus est Cicero, qui negabat Roscium Amerinum occidisse patrem suum, ideo, quod quo tempore pater Romae jugulabatur, filius Ameriae agri colendi gratia erat in Orat. pro Rosc. Amer. c. 7 et 28.

§ 19. Morum tria sunt genera &c. Altera inveniendi materia inest in moribus, qui triplicis sunt generis. alii ipsius Oratoris: alii audientium: alii eorum hominum, quos Orator dicendo imitari et depingere debet. Omnes morum formae coloribus oratoriis expressae, multum ad fidem rei propositae faciendam conducunt. Oratori enim, si suum probavit candorem, veri studium, prudentiam, et benivolentiam libenter creditur. Audientium mores, propensionesq; si cognitas habuerit Orator, cavebit sibi ab ejusmodi sententiis et verbis, quae ipsis displicent. Tandem hominum mores, qui dicendo tractari debent, ita depingendi et ob oculos ponendi sunt, ut quam proxime accedant ad exemplaris fidem.

§ 20. Motuum animi duae partes sunt &c. Tertiam inventionis materiam absolvunt motus animi, quorum duplex est forma: alia quae nasci-

tur

tur ex hominum personis: alia quam gignunt causae intuitu hominum rursus duplex est genus: aliud illorum, qui moventur, h. e. audientium: aliud eorum, quorum causa audientes vel ad iram, vel misericordiam concitantur. Causae vero sedem suam habent in ipsa rerum natura, ob quas in utramq; partem, sive ad voluptatem sive ad dolorem incendimur, quae omnia clarius demonstrabuntur in Cap. VIII.

CAPUT III.

De Loco Magnitudinis.

§ 21. Primus locus omni generi &c. Quoniam ante dictum est, communem omnibus causarum generibus esse locum de magno et parvo; via et ratio postulat artis Rhetoricae, ut quid illud magnum et parvum sit, et quomodo inde argumenta peti possint definiatur. Hic sane locus Oratoriae facultatis est primarius (: omnis eloquentia nititur hoc loco, sive orationem, sive Epistolam scribas, princeps locus hic esse debet:) summam ejus virtutem agnoverunt valde idonei artis Rhetoricae magistri tanquam Cicero in Orat. Partit. a c. 15 – 17. Nemo tamen indolem ejus et naturam eo modo uti Rhetor Noster demonstravit, Aristotelem inprimis secutus Libr. 2. Rhetor. c. 7. Amplificatio autem omnis ex fonte hoc manat. Quotidiana hominum vita nos docet verissimum esse illud Quintil. VIII. Instit. c. 6. est, inquientis in usu et vulgo, et inter eruditos neminem vero contentum esse. non ait si quisquam mortalium extiterit, qui plus optaret quam verum et certum, sed quod nudum illud verum, illam subtilitatem veri jejunam et dialecticam vulgo aversentur homines, majusq; aliquid desiderent, quod augendo fit. Augendi autem vis sensa rhetorico neutiquam nos mentiri, aut rem fide et vero majorem efficere jubet. alioquin imitaremur Sophistas, qui ratione loquendi Graeca τὸν ἥττω λόγον τὸν κρείττω ποιεῖν h. e. ex non satis bona vel contemnenda probabilem causam efficere solebant, sive qui interprete Cicer. in Bruto c. 8. docere se profitebantur, quemadmodum causa inferior dicendo fieri superior possit, quam Sophistarum pessimam disciplinam jam olim boni omnes detestati sunt, veluti Aristot. 2. Rhetor. c. 24. Sed vera magnitudinis demonstrandae et augendi ratio haec esse debet, ut boni et veri quod habet causa, id amplectatur Orator, ibi habitet, ibi commoretur, ibi haereat versando saepe multis modis eandem et unam rem donec clarissime intelligi, et oculis velut cerni possit. Commoratio autem in una re permultum movet, et rerum, quasi gerantur sub

aspectu

aspectum paene subjectio est, ut praeclare loquitur Cicer. III. de Orat. c. 53

§ 22. Magnitudinis autem &c. Hanc autem loci magnitudinis discipliam plures adjuvant loci. 1mo Causarum. 2do Effectorum 3o Interni rerum pretii. 4o Discriminis personarum, temporum et locorum. 5o Adjunctorum rei. et tandem 6o Comparationis. Primarius est rerum efficientium, quae causae appellantur. Quotiescunq enim res non vulgaria ingenii et animi bona requirit, aut majoribus obsepta est difficultatibus, aut plus exercitationis et operae postulat, tanto excellentior et admirabilior cum effecta est habetur Sic quoad ingenium Grammatica praestantior et major est mera philosophandi scientia. haec enim dum res generatim sumtas definit, partitur, demonstrat, praeter perspicuitatis et subtilitatis curam alia omnia intacta relinquit. illa vero has ipsas virtutes, rebus in facto positis accommodat, quae sint dubia certave in verbis et sententiis indagat, germana a spuriis secernit, uno verbo, veri in rerum gestarum memoria signa moderatur, unde liquet longe majori cautione, librorum lectione, ac paene infinita doctrinarum varietate magis opus esse, quam nudis universae rationis conclusionibus. Quoad animum facile intelligitur longe majorem esse in bello virtutem ejus, qui callidum et ferocem hostem, quam imbellem devicerit. adeoq in Carthaginiensibus et Annibale superando plus effecisse P. Corn. Scipionem Majorem, quam in Persis et Dario Codomanno Alexandrum Magnum.

§ 23. Atq etiam ipsarum &c. Neq ipsarum causarum una semper et aequalis est ratio. Nam quae ab ingenio et animo proficiscuntur, longissime praestant his, quas corpori et fortunis debemus. Sic bona sapientiae et fortitudinis nulli nec velocitati nec robori corporis cedent. Quis enim v. c. lacertos et humeros Milonis cujusdam Crotoniatae apud Cicer. de Senect. c. 9 et 10. quam Socratis constantiam malit, qui cum cicutam bibere cogeretur, oratione prorsus heroica apud Judices usus esse dicitur secundum Cicer. I. Tusc. Quaest. c. 40 et 41. Praeterea cum magis arduum sit animum et naturam quam res externas, velut paupertatem et fortunae inclementiam vincere, quoniam haec virtute et despicientia rerum fluxarum facile corrigi possit. Sed animi vitium domare, eundemq in gyro rationis continere, duritiem ingenii emollire et superare, id demum excellentius censetur. Ita legimus Superiam

perianum quendam Rhetorem et Sophistam cum tanta naturae tarditate et stupore conflictatum esse, ut ante 30. aetatis annum parum aut nihil in litteris proficeret, tandem vero incredibili labore illam inertiam sustulisse, summaq eruditionis gloria floruisse, legatur Suidas in voce Σουηελιανος. Quanta etiam diligentia Demosthenes olim impedimenta naturae superaverit, notum est ex Cicer. I. de Orat. c. 61. Pertinet huc quoq illud veteris Poëtae: Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit moenia vid. Fruterus ad Senec. Sententias p. m. 70.

§ 24. Adjuvat etiam magnitudinis &c. Praeterea ad augendam minuendamve rem, non mediocrem vim habet causarum indagatio, quibus quis in agendo regebatur. Nam major profecto laus est in principe si amore erga patriam ductus, quam si commodi sui gratia aliquid fecerit. Ita majus censeri potest beneficium Ciceronis qui togatus armatos vicerat, et privatus Consulibus armatis cesserat, qua de re jure gloriatur pro Domo c. 36. quam triumviri Caesaris de Gallis. ille enim civium conservandorum causa tumultum oppresserat et patriae salutem caritati suorum anteposuerat. Caesar vero difficilem belli materiam quaesiverat dominationis invadendae gratia.

§ 25. Alter locus ducitur &c. Proximus locus est rerum effectarum secundum Cicer. in Topic. c. 18. Quoniam autem eventus magis in oculos incurrunt, quam causae, omninoq ab eventuum sive magnitudine sive tenuitate vulgaria causarum judicia pendeant, satis intelligitur hunc ipsum locum populari hominum intelligentiae valde accommodatum esse. Quo etiam loco ab effectis usus est Cicero, Caesaris victoriam ab effectis rebus magnificentissime laudaturus, cum enim antea alpium et silvarum quasi vallum transgressionem Gallorum in Italiam utcunq impedierit, nunc id perfecisse ait Caesarem, ut si montes resedissent, amnes exaruissent, non naturae praesidio, sed victoria ejus et rebus gestis Italiam munitam haberent Romani vid. Cicer. in Pison. c. 33. In rebus autem effectis spectantur haec tria: genus, vis et numerus.

§ 26. Genera differunt &c. Genera eventuum imitantur formas causarum, eodemq inter se modo discrepant, uti ipsa bona vel mala unde ortum habent. Uti enim causarum ea est natura et indoles, ut aliae majores vel minores haberi debeant, h. e. ut bona malave anteponantur, quae propter se vel expetenda vel fugienda sunt iis, quae propter aliud tanquam sapientia stultitiaq vel pulcritudine

tudine vel deformitate corporis innata atq insita assumtis vel adventitiis, tanquam virtus divitiis, rara vulgaribus, laboriosa procliv. bus, publica privatis: sic in effectis rebus par est in utramq partem ratio quanto enim bonorum et malorum causa altera est major, tanto quoq majores sunt eventus. Nec dissimilis contrariorum natura vid. Aristot. 1. Rhetor. c. 7. Ita ingenia quae efficiuntur corporis, quae corpore fortunae, quae publice fiunt privatim effectis praestantiora sunt.

§ 27. Vis deinde effectorum &c Vim effectorum h.e. fructum et utilitatem vulgo duabus rebus metimur, celeritate et duratione, sive diuturno fructu. Sic quoad celeritatem Pompejus Magnus bello piratico intra 40. dies ut Florus scribit Libr. III c. 6. brevissimo saltem nec majore quam trium mensium spatio, ut auctor est Plutarchus in Pompejo p. 623. feliciter confecto plus beneficii in rem publicam contulit, quam ulla alia victoria, unde etiam in hoc ipso Pompejo loci illius magnitudinis vim assecutus est Cicero pro Leg. Manil. c. 11 et 12. Sic Marii velocitas in Cimbris et Teutonis feliciter debellandis majori Romanis saluti, quam in Jugurtha superando fuit, de quo utroq bello vid. Florus Lib. III c. 1 et 3. Tum quae diuturnitatem commodorum spondent clariora amplioraq habebuntur, quam quae exigui temporis voluptatem ostendunt, qui etiam locus ab Aristotele tractatus est, veluti 1. Rhetor. c. 7. Sic benignior in cives est, qui eos consiliis adjuvat, quam is, qui populum ludis, spectaculis, ignicolorum apparatu cito in fumum abiturò exhilarat. Rhetor noster hunc locum exemplo Solonis et Themistoclis, Lycurgi et Lysandri eleganter illustravit, atq cum haec scriberet, haud dubie ante oculos habuisse videtur elegantissimum illum locum Cicer. 1. de Offic. c. 22. ubi opinionem eorum minuendam esse ait, qui res bellicas majores esse, quam urbanas arbitrantur.

§ 28. Numero denig effectorum &c Numerus quoq effectorum multum valet ad declarandam rei magnitudinem. propterea plura bona paucis bonis anteponuntur, longe et late pervagata angustis, ex quibus plura bona propagentur, quoq plures imitentur et faciant. Cujus effectorum quoq Numeri meminit Cicero in Topic c. 18. Ita Cicero non una re popularibus suis adjumento fuit, consiliis in Senatu, eloquentia in foro et concionibus juris dictione, philosophiae praeceptis ore et scriptis. unde non ad aequales solum illis

temporis

temporibus homines, sed etiam ad posteros multi redundarunt fructus. proinde major censeri debet Mario, qui aliarum artium rudis sola rei militaris scientia nobilis fuit, ut ipse non dissimulat in Orat. apud Sallust. in Bello Jugurth. obvia c. 85.

§ 29. Tertius locus complectitur &c Tertius locus ab aestimatione interni rerum pretii sumitur, qui tametsi adeo popularis non sit ut reliqui, tamen si prudenter et apte tractetur, non mediocrem rei vel elationem vel submissionem demonstrat. Magnitudo autem ejus rei vel cadit in sensus, vel intelligentiae viribus subjecta est. illam sensibilem, hanc intelligibilem vocat Rhetor noster vocabulis haud dubie e Seneca Epist 124. petitis, qui sensibile ab intelligibili bono secernit. Sensibilium rerum magnitudo saepissime pendet a judicio seculi, quod quis in vestitu, aedificiis, supellectili, victuve sequitur, unde fit alterum altero carius, pulcrius, desiderabilius vulgo habeatur. Intelligibiles contra vel insitae rei delectationis et pulcritudinis natura, vel opinione judicum regi solent, unde oritur saepe vel admiratio vel contemtus rerum quarundam pro argumentorum et cognitionis modulo mensurave quam quis vel usu vel ingenio assecutus est. Utriusq hujus loci vim et dignitatem persequi conatus sum in Oratione de Artium Graecarum Latinarumq judicio hodie regundo.

§ 30. Est etiam quartus &c Quartus magnitudinis locus a discrimine personarum, temporum et locorum petitus, superiori longe popularior est, atq adeo inutilis ei, qui nihil aliud in oratione consequi se posse putet, nisi ut doceat. pro varietate enim personae, quam quis sustinet, aut temporum et locorum conditione modo id, modo aliud alteri praeferendum aut postponendum erit, quod tamen judicium proprie informare non potest Rhetor. In hominum personis ad honores, necessitudines vel sanguinis vel muneris, item ad virtutes et quae sunt his contraria vitia respicere nos oportet. In temporibus et locis idonea rei gerendae opportunitas, difficultas e duobus bonis malisve maximum aut minimum seligendi ratio dominatur. haec aliaq ejusmodi diligenter sunt consideranda in omni causa exercitatioq capienda. Ita v. c. mirifice augebimus doni alicujus gratiam, cum non tam pretio quam donatoris persona metiendum dicimus, quod urbanitatis artificium probe intellexerat Gnatho Terentianus in Eun. III: 1: 2. cum interroganti Thraso ni laetane sit Thais munere, quod miserat, responderet:

non tam

non tam ipso quidem Deno, quam abs te datum esse: id vero ferio triumphavit. Aliud simile dictum est Alcumenae et Mercurii illius personati apud Plaut. in Amphitr. I: 3: 38. ubi inter se officiosa verborum humanitate certant. Ceterum hujus loci imago cernitur in eleganti illa officiorum pro gradu societatis hominum contentione apud Cicer. I de offic. c. 17, 18 Quantus vero sit in eo ipso loco magnitudinis et amplificationis fundus apparet e duabus Orationibus Cicer. ad Quirit. post Redit. et post Redit. in Senatu.

§ 31. 32. Quintus locus habet &c Quinti loci materia in modo rei cujusque collocata est, qui etsi cum loco causarum nonnihil necessitudinis habeat, tamen seperatim hic poni debuerat, quoniam illic quid quisq; res sit sua natura, et quomodo cujusq; vis et ratio ab altera discrepet docemur. hic contra non tam quid, quam quomodo, quo animo, quibus adjunctis, sive ut vulgo loquuntur, circumstantiis, qua corporis et vultus externa specie, quibus antegressionum et consecutionum signis evenerit, quaeritur. Unde apparet hunc locum non in conjecturalibus solum causis dominari, sed ad omnes omnino pertinere, ubi actionis magnitudo demonstranda sit. Sive enim laudes, sive vituperes, sive suadeas aut dissuadeas; accuses aut defendas, adjunctis fere rerum opus est, unde res ipsa vel honestior vel turpior, utilior vel inutilior evadit. Modi autem rerum quomodo exornari oratione debeant, exemplum subministrabit Cicero V. Verrin. c. 14. ubi honorem Quaesturae et Aedilitatis qua ratione, quove animo sibi tribuerit populus graviter exponit. Item quomodo ad Consulatus honorem evectus fuerit singulari eloquentia demonstrat 2 Agrar. a cap. 1. sqq.

§ 33, 34, 35. Est etiam intelligendae &c Summam profecto magnitudinis intelligendae vim habet Comparationis locus, qui etsi in prioribus omnibus lateat, jubeatq; nos causas cum causis, effecta cum effectis, modos rerum cum rebus apsis metiendo et aestimando conferre: tamen quia in natura et constitutione comparationis aliquid proprii inest, quod generatim illustrari debet; non injuria Rhetor noster in locis tractandae magnitudinis collocavit, exemplum Aristotelis haud dubie secutus, qui totum de magno et parvo locum, comparationis modo et ratione perseguitur I. Rhetor. c. 7. Comparationem autem proprie augendi minuendive fontem esse philosophia et tota mathesis docet. quicquid enim mensurabile est sive sensu, sive intelligentia, id per se neq;

magn

magnum neq; parvum dici potest, nisi contentione facta cum aliis h.e. quadam proportionis lege, quae ex conferenda atq; assimilanda cujusq; rei natura judicatur. proinde rei nullius magnitudinem oratoriis coloribus assequemur, nisi v. c. honesta cum honestis, utilia cum utilibus, aequa cum aequis commiserimus, aut quid alio honestius, utilius justius sit viderimus.

§ 36. In hac ratione spectari &c Ipsa autem comparatio seperata a causarum generibus, sic ex sua vi considerabitur, si illud quod comparabitur qua cum re, deinde quomodo contendi debeat demonstrabitur. Est enim quanquam diversarum rerum tamen quaedam vicinia et similitudo. Ita Cicero ut clementiam Caesaris summis eveheret laudibus, hanc ipsam cum rebus ejus fortiter et admirabiliter in bello gestis comparavit, quarum primum amplitudinem magnificentissimis efferat verbis, nullius, inquiens, tantum est flumen ingenii, nulla dicendi scribendiq; tanta vis, statimq; subjungit eventuum argumenta a numero proeliorum, immanitate hostium devitatarum, celeritate cursuum, et varietate disjunctarum regionum ducta in Orat. pro Marcello c. 2, 3. unde omnes qui haec audirent, negasse credibile est majus aliquid mente et cogitatione capi posse. Similiter idem Cicero castrensem Murenae vitam cum militia forensi Servii Sulpitii comparat, illamq; huic, quanquam perdifficili negotio anteponit pro Muren. c. 9. et 10. Cujusmodi comparationum exemplis pleni quoq; sunt Graecorum Oratorum Libri, tanquam Isocratis in Panegyr. p. 113. ubi virtute Spartana Atticam haud minorem fuisse contendit, et mansvetudinis justitiaeq; popularium suorum laudem, Spartanorum dominationi et duritiei antefert. Addatur simul ejus παναθηναϊκος λογος p. 469 sqq. ubi exquisito comparationis loco usus Athenienses longe praestantiores esse Spartanis argumentatur.

§ 37. Est vero etiam &c Interim accidit non raro, ut rem et causam tuam insigniter augeas, si ejus pulcritudinem et excellentiam cum maxima deformitate foeditateq; contrarii contuleris, velut honestatem cum turpitudine, utile cum noxio, maleficium unius cum alterius beneficio. Qui locus judicationis ita foecundus est, ut si bene tractetur in demonstranda v. c. vitii sceleriq; magnitudine, non levi ad persuadendum momento futurus sit. Ita Cicero Verris cupidita-

tem

tem et avaritiam cum M. Marcelli continentia liberalitateq contulit, ut iniquitas, improbitas et impudentia ejus tanto intolerabilior appareret vid. IV. Verrin. c. 41. in primis a cap. 52 – 59. Nec minor comparationis virtus est in extenuando. Si enim criminis suspicio amolienda erit, contendatur ea cum pudore ejus quem defendimus, vitaq laudabiliter ante acta, uti Cicero egregie fecit, cum P. Sullam contra L. Torquatum defenderet, negaretq in ejus vita et moribus tanto conjurationis sceleri locum esse potuisse vid. Orat. pro Sulla c. 26 et 27.

§ 38. Magnam porro &c 39. Ad rerum &c Modus autem comparandi in eo potissimum situs est, ut incrementum vel decrementum rei sive ex majoribus, sive minoribus sive aequalibus argumentatione quadam petatur. Ea autem est hujusmodi: Quod in re majore valet, valeat in minore. Item contra, quod in re pari valet, valeat in hac quae par est. Exempla possunt peti ex Cicer. II. de Orat. c. 40. Simile quoq latet in Hectoris verbis, quibus Aeneam compellavit apud Virgil. II. Aeneid. ✗ 291. Si Pergama dextra defendi possent, etiam hac defensa fuissent. Nam sententia hujus loci est: Si Hector non potuit Trojam defendere, quomodo poterit Aeneas? Ea vero comparationis forma cum fructu instituetur, si in locis personarum, temporum et effectorum versamur, quae tamen omnia non proprie Rhetoris sunt praecipere, sed unius cujusq non plane hebetis est judicare, quid cuiq causarum generi maxime conveniat. Deinde hoc rei alicujus intelligibilis magnitudinem non mediocriter auget, si eam imagine excelsi operis, quod in oculos incurrit illustriorem fecerimus, tanquam si quis Litterarum Graecarum Latinarumq praestantiam et utilitatem per omne doctrinarum curriculum late sparsam pharo Alexandrinae comparaverit, ex qua, ut loquitur Sveton. in Caligula c. 46. noctibus ad regendos navium cursus ignes emicabant. Eo ferme modo Jacob. ille Saurinus Theologus et cultissimus olim apud Haganos Orator aeternitatis imaginem variis rerum et viarum maximis intervallis depinxit, veluti in illa homilia de tormentis damnatorum ad Apoc. XVI: 11 homilia 5a pag. 243. ejus homiliarum.

CAPUT IV.

De Possibili et Impossibili.

§ 40. Alter locus communis &c Alter locus ad omnes causas et quaestion

et quaestiones accommodatus, ex eo, quod fieri potest, vel non potest, vel quod clarius futurum fuisset; quod credibile vel non credibile est, sumitur. Sive enim laudes, vel vituperes; sive suadeas vel disuadeas; sive accuses, vel defendas, semper approbandum est, rem potuisse aut non potuisse, posse vel non posse, fieri, futuram vel non futuram. Proinde Aristoteles rectissime hunc quoq locum περὶ τοῦ δυνατοῦ vel ἀδυνατοῦ retulit inter λογοὺς κοινοὺς II. Rhetor. c. 18. praecipue vero dominatur is locus in causis judicii et deliberationis. Graecorum δυνατον et ἀδυνατον Rhetor Noster, possibile et impossibile nominat, adjunctis quidem ore et usu Latino non admodum tritis, doctrinae tamen et brevitatis causa non plane repudiandis. Nusquam tamen hae ipsae voces frequentius audiuntur, quam in hodiernis Metaphysicorum Scholis, qui possibile et impossibile de omni re accipiunt, cui vel nulla vel omnino rationis repugnantia inest, cujus quare sit, vel fiat, vel fieri possit idonea reddi ratio vel non reddi potest, quacum spinosa saepe et exili rerum possibilium scientia Oratori proprie nihil est negotii, utpote qui sensu duce vel solo illo vel arte adjuto quid sit vel fieri possit, vel factum sit indagat, et ad communem hominum intelligentiam admovet. Quanquam enim quae fieri non possunt Metaphysicorum disciplina, etiam sensu rhetorico evenire nullo modo possunt: tamen minime sequitur vicissim, ut quod fieri possit lege metaphysica, id propterea in certis temporum, personarum, locorum causis necessario eveniat. Enimvero uti ex eo, quod fieri posse intelligitur, ad id quod fit factumve est rationis conclusio vitiose ducitur, sive ut elegans philosophantium os imitemur: a posse ad esse non valet consequentia: sic etiam saepissime accidit, ut quae maxime possibilia sunt apud Metaphysicos, apud Historicos et Rhetores valde impossibilia h. e. incredibilia existimentur. Quoniam vero Orator quod intendit confirmare, tum quod contradicit refellere, et quod censet, ut rem factu proclivem persvadere debeat; manet omnino quam maxime ipsi opus esse loco de possibili et impossibili.

§ 41. Omnis igitur de possibili &c Scilicet in omni causa jure quaeritur utrum res ea, quam dicendo tractamus potuerit, possitve fieri an minime potuerit, possitve. Quae dubitationis ratio duplicem habet formam. altera, anquirimus an res fieri sua natura possit: altera, an id quod dicimus factum aut futurum

rum esse, ita personis hominum et locis et temporibus congruat, ut credibile sit evenisse aut eventurum. Etsi vero a certis hominum personis nihil certo tempore et loco fieri possit quod naturae et rationis legibus repugnet h. e. saepte ingenio non possibile sit; tamen rursus quod in universum possibile est, minime demonstrat rem ita contigisse aut futuram: proinde unius cujusq generis vis et ratio separatim definienda est.

§ 42. Per se possibilia putantur &c. Per se possibilia habentur in quibus rerum effectarum cum efficientibus causis tam necessaria est copulatio, ut neutrum sine alterutro nec esse nec cogitari possit. quare cum in disceptationem inciderit causa efficiens, aliquid necessario licebit, quod efficitur ab ea causa ratione concludere, tanquam: si ignis est, lucet; si forcus ardet, calescit diaeta. Nec ea tantum fieri posse putantur, quae natura sua vim necessariam efficiendi habent, sed etiam quae uno genere, aut toto, uno principio, aut fine iisdem aut similibus causis continentur. Etenim si genus est, forma quoq erit v. c. si navis etiam triremis, si totum, etiam pars, veluti si aedes, etiam conclave aut pavimentum erit. Si principium etiam finis, tanquam si fundamentum, etiam domus fieri poterit, nihil enim fit neq incipit fieri eorum, quae fieri non possunt. Item vicissim si finis, etiam principium, veluti si domus fieri potuit etiam fundamentum. Porro si unum simile contigit etiam alterum simile fiet, tanquam si unus civis potest Consul creari, etiam alter poterit. Tum si difficilius etiam facilius, tanquam si pulcra domus etiam simpliciter domus, majus enim est pulcram domum, quam domum simpliciter fieri. Quarum quidem rerum observatio etsi minuta videri possit, eo tamen valet, ut undenam possibilitatis demonstratio arcessenda sit facilius intelligatur, atq in his relationum partibus enarrandis subtiliter versatus est Aristoteles II. Rhetor. c. 19. ex quo fonte suos irrigavit hortulos Rhetor Noster.

§ 43. 44. 45. An aliquid certo &c. Quodsi in disceptationem veniat an aliquid factum sit nemo non videt dupliciter hic rursus quaeri oportere. 1um an aliquid fieri potuerit quod ex antegressis praeceptionibus intelligitur. Deinde an reapse factum sit, quae novissima suspicio partim ex personis, partim negotio separatim partim communiter ex hominum et rerum attributionibus sequetur. Si homo fecisse id, quod intendimus arguatur, duo potissimum in deliberationem veniunt; an quis potuerit, an voluerit. Cujus praeceptionis Auctores sunt optimi quiq veterum Rhetorum, tanquam Aristoteles II. Rhetor. c. 19. Cicero in Partit. Orat. c. 32. et alii.

illudq

illudq conjecturae genus, facultatis, hoc voluntatis nomine complectuntur. Sane praeter hos duos quasi fontes nihil ad demonstrandam actae rei veritatem absolutius excogitari potest; illud suppiciari factum, hoc credere nos jubet. In causa facultatis spectantur et approbari etiam debent temporis, loci, aetatis, fortunae, juris opportunitates, aliaq id genus rerum adjuncta, quae vim efficiendi non impediunt. Voluntas comprehendit impulsionem internam et externam. Ad internam spectant motus animorum, quibus nihil est ad rem tentandam acrius, tanquam si quis virtutis, si honoris, si gloriae cupiditate regatur, si impotens, si audax et incautus, si levis fuerit; tum si odium vetus, si ira recens; denig si quod arguitur aut spe adeptionis bonorum aut metu vitationeq malorum fecisse dicitur. Impulsionis externae conjectura movetur, si de necessitate v. c. aeris alieni aut rei familiaris angustiae constiterit; si aliorum consiliis obtemperaverit, si conpetadine peccandi allectus fuerit; si eodem modo similibus in causis paria cum posset, fecerit. qualis autem accusantium talis etiam infitiantium ratio est. negabit enim defensor vel ejusmodi causas adfuisse vel in personae aut facti naturam cadere, saepe vanum esse dicet in ante actis argumentum, praeterea simul ostendet nullam subfuisse commodi spem, ideoq illud Lucii Cassii obvertat: cui bono, quemadmodum Cicero fecit in Orat. pro Milon. c. 12. Ad haec demonstrare poterit alio tempore vel loco idem aut facilius aut securius facere potuisse, neq tamen fecisse, quo spectat elegans Ciceronis argumentatio in Orat. pro Milon. c. 16. Quem igitur cum omnium gratia voluit &c. Simili ratione sed paulo efficacius se defenderunt Roscius et Clodius secundum Cicer. pro Rosc. Amer. c. 7. et pro Milon. c. 17. plura de his locis et facultatis et voluntatis dabit Cicero II. de Invent. a. c. 4 sqq.

§ 46. Sed factum etiam &c. Rei factae verisimilitudo partim e causis suis intelligitur ut in superiori genere, partim e signis cernitur, quae uniciq facti generi sua natura insunt, de, quibus multa subtiliter praeceperunt Rhetores antiqui, ita ut inter εἰκότα, ἐνδεῖα et τεκμήρια distingverent, 1o in causis naturalibus, 2do in notis communibus, 3o in notis rei propriis et necessariis locantes, tanquam Aristot. I. Rhetor. c. 2. Verumtamen ad id quod instituimus hac subtilitate non est opus, satis sit diligenter considerare signa, quae sint continentia cum ipso facto h. e. quae a re separari non possint, quo in loco videre oportebit primum quid sit ante rem factum, unde facultas et spes perficiendi nata et quaesita esse videatur; tum quid in ipsa re gerenda; tandem quid postea consecutum sit, de quibus omnibus negotii gestionis attributionibus

egit

egit Cicero I. de Invent. c. 26. sqq. Ejusmodi signi meminerunt tragaediae in quibus Teucri et Ulyssis personae inducuntur apud Quintil. IV. Institut. c. 2. ad quem locum vid. Gesner. Illa vero signa quotiescunq vel adesse vel abesse videbuntur toties aliquid elicietur, quod justam facti vel non facti suspicionem movere poterit, et si singula ad fidem faciendam per se exigua fuerint, tamen cum sunt coacervata ceteris proderunt vid. Cicero in Partit. Orat. c. 33.

§ 47. Neq solum absentia &c Quemadmodum autem signis tanquam tacitis rei testimoniis factum arguitur, sic etiam ubi haec desint infirmari solet in primis si non modo non adfuisse facti notas, quales adversarius intendit, sed contrarias plane ostenderit, unde contraria rei conjectura capi possit. Ita post atrocitatem criminis alicujus vix quisquam placide dormierit: si quis igitur in caedis perpetratae causa inventus sit somnum capiens, is non leve praebuerit argumentum nihil hujus sceleris ad ipsum pertinuisse. Valde igitur nequam erat Artabanus cum Xerxem a Dario filio occisum fingeret, impelleretq Artaxerxem ut frater Darius dormiens inventus, quasi somnum fingeret, necaretur teste Justino III: 1. Longe aequiores fuerunt judices qui Titi Cloelii Terracinensis filios suspicione parricidii liberarunt, cum ipsis planum esset factum ambo dormientes aperto ostio repertos esse, somnum enim innoxiae securitatis certissimum indicem esse opinabantur, nec putabant eos, qui tantum scelus commisissent, quiescere potuisse, cujus exempli meminit Cicero pro Rosc. Amer. c. 23.

§ 48. Accidisse porro atq &c Verumtamen ut demonstretur revera aliquid esse et accidisse, non sufficit tantum suspicionibus et conjecturis rem confirmare, sed etiam ex antegressis conjunctis et insequentibus rei ostendere, unde, cur existat, fiat et sit, intelligi possit. Si enim facta sunt quaecunq naturae legibus fieri solent, ante illud aut propter illud necessaria est ipsius facti conclusio. Sic v. c. hominem vel eruditum vel doctum esse aut fuisse, non satis est primum eruditionem et doctrinam per se nihil repugnantiae habere, neq eandem refragari illius hominis viribus et ingenio, adfuisse etiam signa quaedam externa Scholasticis et Academicis literarum conventibus nomen quem dedisse, uniusque et alterius magistri lectionibus interdum dicis causa interfuisse, sed approbare debet eum in lectione non qualiumcunq sed optimorum Librorum commentatione exercitationeq assiduum fuisse, quae solae

sunt causae

sunt causae cur quis eruditus esse et censeri debeat. Deinde ad facti veritatem plurimum valebit hoc, si demonstraverit factum esse id quod loco secundario fiat, ideoq prius etiam evenisse. Sic si quem oblivio cepit alicujus rei eam aliquando didicerit necesse est.

§ 49. Cum deniq quaeritur &c Similibus argumentis uti licebit in sententiae dictione, ubi, quid eventurum aut non eventurum sit quadam animi praesensione provisioneq futuri temporis divinamus. Futuri autem negotii divinatio perinde atq praeteriti disceptatio duplex est, vel in personis vel in rebus sita, utrobiq necessitatem quandam considerare oportebit. Necessitas est vel mera vel simplex, vel cum adjunctione temporum locorum et fortunae. Necessitas mera et simplex in hominum personis pendet a causis, sic apud Aristot. varia ejus generis exempla occurrunt, tanquam, qui facile et palam mentitur pejerabit; qui ob rem judicandam pecuniam accipit ob dicendum falsum testimonium accipiet; qui sumtuosus est domi, patrimonium exhausit, turpiter vixit et pecuniam publicam non facile mandaveris II. Rhetor. c. 19. Necessitas cum adjunctione similiter nos credere jubet idem facturum esse aliquem quod prius fecerat, si tempus, fortuna, et locus uti antea facultati ejus et voluntati responderit.

§ 50. Res autem futurae &c Rerum futurarum sive eventuum verisimilitudo iisdem attributionibus declaratur, quas antea in factis praecepimus. quatuor argumentationibus futurarum rerum veritatem illustrat Aristoteles II. Rhetor. c. 19. Credibile saltem erit futurum quid, si constet causas adesse, quibus haec divinatio continetur, unde quo plures et majores adsunt causae tanto verisimilior futuri praesagitio existet. Haec autem causarum judicatio vel a natura rei ipsius vel ab observatione rerum humanarum usus, vel quae usus rerum vicaria est historiae pendet, quem tamen maximum verisimilitudinis gradum nemo cogitatione assequitur, qui festinatione improvida rem eo modo futuram conjicit, prudentissimus igitur erat Q. Fabius Cunctator, qui proelium cum Annibale committere recusabat nisi victoriam se consecuturum esse certo sciret, stultus contra Terentius Varro, qui priusquam et exercitum suum et naturam situmq regionis nosset, in urbe et in curia locatus jactabat se quo die hostem vi-

disset

Disset. perfecturum esse bellum secundum Livium XXII: 38, 39.

CAPUT V.

De Locis Generis Demonstrativi

§ 51. Genus demonstrativum &c. Primum locum generi Demonstrativo assignavit Rhetor Noster nonnullorum exemplo, quanquam aliter placuit Aristoteli qui post deliberativum collocavit I. Rhetor. c. 9. Genus demonstrativum Graece dicitur ἐπιδεικτικὸν quasi ad inspiciendum delectationis causa comparatum ut Cicero loquitur in Orat. c. 11. item ἐγκωμιαστικὸν unde Quintilianus III. Instit. c. 5. hoc genus maluit laudativum quam demonstrativum appellare. In hoc quidem genere olim Sophistae versati sunt, quoniam pompae quam pugnae aptius esse videbatur teste Cicer. in Orat. c. 11–13. Demonstrativum autem est, quod tribuitur in alicujus laudem et vituperationem, ut ait Mag. Herenn. I. Rhetor. c. 2. Laus proprie in virtutem vituperatio in vitium cadit, quoniam illi honestatis huic turpitudinis ratio inest. In demonstrationibus sane quid honestum sit quaeritur judice Cicer. II. de Invent. c. 4. manetq; adeo finem alterius esse virtutem honestatis procreatricem, alterius turpitudinem vitii pedissequam, legatur Cicero in Partit. Orat. c. 21.

§. 52. Subjecta porro huic generi &c. Neq; huic tantum generi subjectae sunt virtutes duntaxat et vitia, sed omnia omnino alia inserviunt quae ad gignendam vel exprimendam honestatis turpitudinisve imaginem nonnihil conducunt. Comprehendi autem possunt duobus generibus vel rerum vel hominum. Quanquam enim alii triplicem laudi et vituperationi materiem adjudicarunt, unam personarum, alteram factorum, tertiam rerum uti Vossius I. Instit. Orat. c. 8. sect. 3. quoniam tamen factorum ea est indoles ut si infinite spectentur ad res, si finite ad hominum personas referri debeant, recte Rhetor Noster in distributione hac partium facta omisit.

§ 53. Intelligendum est igitur &c. Neutrius vero generis vim et pulcritudinem dicendo quisquam assequetur, nisi primum quinam omnis honesti et turpitudinis fontes sint, quid honestum et turpe, vel sua natura vel noxibus existimetur, tenuerit, deinde quomodo ex illis ipsis generatim cognitis argumenta ad singularum causarum sive rerum sive hominum laudem vituperationemq; idonea sumantur, intellexerit.

§ 54. Jam, quoniam &c. Illud autem omne, quod vel totum vel aliqua ex

qua ex parte propter se laudari debet, honestum dicimus. ei cum duae res grandes sint attributae, necessitudo et affectio, sequitur ut aliud honestum simplex, aliud conjunctum cum opinionum et fortunae causis dici possit. Simplex honestatis genus una vi atq; uno nomine complexa est virtus, unde perpetua quoq; et stabilis omni tempore et loco ejus laus est. Tametsi vero omnis virtus per se commendabilis est, tamen plures habet partes et officia, quorum alia ad laudationem aptiora videri debent, de quibus adeundus est Aristoteles Rhetor. c. 9. plures etiam antegressiones et consecutiones habet, quae omnes in consum laudis veniunt, et sunt quasi adminicula virtutis. Uti enim vitiorum quaedam sunt elementa nec quisquam repente fit turpissimus, ut ait Juvenalis Satyr. XIV vs 123. sic etiam virtutis sunt quaedam initia, neq statim quis uno die vel uno mense ex improbo probus fit. Ejus autem generis duo sunt, vel signa vel ipsa opera. Aristoteli dicuntur σημεῖα τῆς ἀρετῆς, καὶ τὰ ἔργα I. Rhet. c. 9. longeq clarius loquitur quam Rhetor Noster, qui paullum obscuriore locutione virtutis opera indicat per virtutem efficientem sui ita signum v. c. justitiae est pudor, fortitudinis perpessio rerum arduarum; opera vero justitiae et fortitudinis, ut per se intelligitur, sunt juste fortiterq; facta, quae omnia tam honesta et laudabilia per se sunt, quam virtutes ipsae, quibuscum arctissimam necessitudinem habent. Eodem modo turpitudinis ratio augeri dicendo potest si vitiorum naturam et indolem, causas et effecta cognoverimus vid. Cicero II. de Orat. c. 85. Verumtamen extant quoq; alii loci, qui non tam ex honesti et turpitudinis natura consequentibusq; quam ex hominum judicio opinionesq; sumuntur. Ita honestatis titulo et nomine veniunt, quae aut magnitudine sunt praestabilia, aut novitate prima, aut genere ipso singularia. Aristoteles vocat τὰ περίτλα I. Rhetor. c. 9. veluti; casus adversos sapienter ferre, non frangi fortuna, retinere in rebus asperis dignitatem, tum quae fructuosa sunt aliis, sive publice sive privatim, in primis publice quae suscepta sunt patriae bono, quod quis fecit pro salute civitatis sine emolumento et praemio, imo cum labore et periculo suo, quos omnes locos habet Aristot. l. l. Porro quae utilia sunt nihil de nobis meritis aut merituris, velut posteris, qualia sunt ingeniorum monumenta, quae seculis probantur. praeterea admiratione et omni laude digna videri solent, quibus decernuntur virtutis praemia habenturq; honores non propter spem futurarum divitiarum, sed propter merita

optimo

optimorum civium judicio tributi, in quibus honos magis quam pecuniae spectantur. Aristoteles ait ἐφ' ὁσοις τιμὴ μᾶλλον ἢ χρήματα quales fuerunt apud Graecos coronae oleagineae in ludis, apud Romanos coronae murales civicae in bello tenues illae quidem, sed ob eam causam gloriosae. item quae mortuo potius quam viventi dantur praemia, quoniam de mortuis incorruptius judicamus, cum sine amore, sine cupiditate, et rursus sine invidia solam intuemur virtutis imaginem, quo spectant monumenta sepulcra, statuae, aliq honores virtutis praestantibus post mortem dati. praecipue hoc exornationi honestatis aptum est, si laudetur aliquid a sapienti et laudato viro secundum Cicer. V. ad Diver. Epist. 12. Tandem etiam uberrimam ad laudandum copiam habent signa rerum honestarum tanquam apud Romanos vulnera adverso pectore excepta, tergo cicatricibus vacuo, de quibus gloriabatur ille fortissimus Romanorum miles Lucius Sicinius Dentatus apud Valer. Maxim. Libr. III. c. 2. ex. 24. item spolia opima ab hostibus reportata, veluti illa Romuli apud Livium Lib. I. c. 10. alii id genus honores, tanquam triumphi. Ceterum quae turpia existimentur e contrariorum natura perspicuum erit.

§ 56. Assumuntur etiam &c. In societatem quoq laudis veniunt vulgo genus, forma, vires, opes, divitiae, ceteraq quae fortuna dat aut extrinsecus aut corpori, optanda illa quidem non suo tamen jure et per se laudabilia, sed quantum ad fidem laudis demonstrandam, rectissime Aristoteles brevissimeq τὰς κυκλῳ εἰς τυχὴν I Rhetor. c. 9. Quanquam enim haec in se non habent veram laudem, quae debetur uni virtuti; tamen si ipsa virtus earum rerum usum regit et moderatur, haec ipsa naturae et fortunae bona in laudationibus haud spernenda esse videntur. ita v. c. laudi ducitur si quis propter nobilitatem se non efferat, non insolens sit in pecunia, non se praeferat aliis propter abundantiam fortunae, opesq et copiae non materiem dedisse videantur superbiae ac libidini sed bonitati et moderationi, praeclare igitur Quintilianus Omnia, inquit, quae extra nos bona sunt, quaeq hominibus forte obtigerunt, non ideo laudantur, quod quis habuerit ea, sed quod his honeste sit usus III. Instit. c. 7. Notandum vero in genere est, haec omnia ex Locis magnitudinis ita allevari debere, ut honestatis imago quam ornatissime splendidissimeq appareat, eamq oratoriae facultatis vim summus Rhetor Aristoteles opportuna locutione exprimit per ἄχθειν εἰς τὸ καλον I Rhetor. c. 9. In contrariis vicissim eodem nos pacto versari oportet, tanquam si demonstraveris corporis alicujus etsi perinsignes, tantum tamen offensionis non habere, quam animi deformitatem.

§ 57. Res quae laudantur &c. Quod si quis locos honestatis animo et cogitatione persecutus fuerit, hunc argumentorum apparatum facile ad res et personas hominum traducet. etsi enim res sua natura diversae sunt a personis tamen in oratoriae facultatis negotio a personis secerni non possunt, quoniam non quid infinite sed quid finite quodq sit ostendi debet. res quae laudantur vel reprehenduntur sunt virtutes ipsae vel vitia, facta, artes, loca animalia, urbes, cetera naturae et artis opera quae commemoravit Quintil. III. Instit. c. 7.

§ 58. In virtute ipsa laudanda &c. Cum enim digredi interdum liceat ad thesin sive locum communem aliquem de virtute vel vitio; in utroq ita versari oratorem oportet, ut honestas et turpitudo dicendo amplificetur, quod quomodo fiat supra in Locis Magnitud. ostensum est. Etsi enim virtus per se ipsa clara et aeterna habetur; tamen illa claritas tot argumentorum luminibus adjuvanda est, ut omnes in sui admirationem rapiat, propterea orator per partes ire debet, tandiuq in causis et effectis haerere donec pulcerrima virtutis aut teterrima contrarii i. e. vitii imago appareat.

§ 59. In factis autem &c. In demonstratione factorum non solum generatim videndum erit ex qua virtutum congerie quodq originem duxerit, an per se honestum sit, an utile vel ad consequendum bonum vel ad depellendum malum, an necessarium, an difficile, nam praeclare Graeci τὰ καλα ευσκολα sed in primis amplificatione opus est, cujus locos demonstravit omnium optime Aristot. l. l. Cum fructu enim quaerere licuerit an quis primus, qualis eorum laus est, qui primum quid ad vitae usum invenerunt a Plinio copiose indicati VII. Hist. Natur. c. 56. tum an quis solus, uti soli Ciceroni togato supplicationes decretae, tum an cum paucis, uti Brutus, qui ad expugnandum regnum cum Tarquinio Collatino, Lucretio et Valerio conjuraverat teste Livio 1: 59. - Sic etiam an tempore opportuno, ut si quid fecit praeter spem et expectationem exemplo Camilli qui Gallis Senonibus inq cum Romanis pacisscentibus intervenit, eosq subito aggressus ita cecidit, ut ne nuntius quidem cladis relinqueretur secundum Liv. V. 49. Deinceps an idem sape egerit, unde intelligi potest non casu aut forte fortuna sed consilio ipsius industria et virtute rem ita gestam administratamq esse. Porro an ejus causa reperta primum sint virtutis praemia, uti primum Harmodio et Aristogitoni Hipparchi Athenarum tyranni interfectoribus statuae sunt in foro collocatae. Tandem an ita egerit ut cum aliis

aliis comparatus reliquis antecelleret, quo amplificandi modo usus est Cicero in laudando Pompeje pro Leg. Manil. a cap. 13 sqq. Quos omnes locos jam Aristoteles agnovit et commendavit in aureo Rhetorices Libello Lib. 1 c. 9.

§ 60. In personis ab his fere &c. Quoniam vero in ejusmodi laudationibus omnia ad personarum vel hominum dignitatem referuntur judice Cicer. 1. de Orat. c. 31. videndum in primis est qui potissimum loci hominum laudibus sint attributi. Personas autem laudandi duplex ferme ordo est. alter naturalis, alter artificii plenus. naturalis persequitur temporis notas, enarratq ejus natales, quid in pueritia, in juventute, aetate virili et provectiori acciderit. Artificialis contra non tam tempora quam rerum genera et species persequitur, singulaq alicujus gesta uni illarum formarum vel pluribus accommodat. Illa prior ratio naturalis in biographos cadit, haec plura requirit, quantumvis nihil vulgatius sit isto laudandi genere, tamen nihil magis est, quod paupertatem eloquentiae ostendat, quam haec ipsa ratio, qua meram vitae historiam tradit. Verum rectius quis laudaverit principem si bonitatis, prudentiae aut justitiae in eo imaginem depinxerit, et ad earum virtutum vim genus et nomen omnes ejus res gestas accommodaverit, quam si illustre ejus genus, rudimenta pueritiae, matrimonia, liberorum progeniem jejune descripserit. longe aliter fane praeceperunt veteres, tanquam Cicero II. de Orat. c. 85. Interim quomodo laudaveris sive vitam alicujus inde a natalibus usq ad mortem ordine temporis recensendo sive per rerum argumenta distribuendo utrobiq laudis argumenta petenda sunt e quadruplici bonorum genere, quorum alia sunt animi uti virtutes, ingenium, studia doctrinarum; alia corporis, tanquam dignitas, robur, valetudo; alia extra nos posita, sive fortunae, veluti natales, educatio, divitiae, opes, alia denig egregie facta i. e. res publice et privatim gestae, in quibus omnibus id operam dare debemus, ut quaedam honestatis magnitudo appareat legatur hic Quintilian. Libr. III c. 7.

§ 61. Veluti, natales ita ad &c. Ex illis tamen generibus unum fortunae exemplum selegit Rhetor noster ostenditq quomodo natalium sive nobilitas sive obscuritas ad luculentam honestatis opinionem traduci possint, cui tamen diu praeivit Cicero in Partit. Orat. c. 22. quod igitur in hoc uno exemplo valet, idem in ceteris valere oportebit. Sic omnis quoq in vituperatione ordo constabit, tantum in diversum ut loquitur et docet Quintilianus Libr. III c. 7.

§ 62 Reg

§ 62. Neq; vero in ceteris &c Neq; operosa laudis inveniendae ratio est in ceteris sive ingenii sive artis sive naturae operibus, cum nihil sit quin ex aliqua parte aut honestatis aut utilitatis aliquam de se speciem ostendat. In hujusmodi autem singularium rerum demonstratione adeo copiosus fuit Joannides Vossius 1. Instit. Orat. c. 5. Sect. 32 sqq. ut actum ageren, si quod recte dictum est prius inutiliter persequerer, hoc duntaxat tenere nos oportet, rerum laudandarum locos non ideo a rhetoribus tradi, quasi de his ex instituto dicere debeat Orator; sed quantum et quoties rerum laudatio in panegyricum hominis incidat, vel hoc princeps argumentum digressione quadam indigere videatur.

§ 63. Ceterum hoc in genere &c In toto autem hoc genere laudationis, non mediocri opus est prudentia, ne omnia, quae dici possint corradamus, quae enim communia nimis vel exigui momenti sunt, ea vel silentio praetereunda vel breviter duntaxat indicanda sunt. Etenim verissimum est, quod alio loco censet Quintilianus, nihil esse non modo in orando, sed in omni vita prius consilio vel prudentia VI. Instit. c. 5. Haec vero prudentia magis assidua exemplorum contemplatione quam praeceptorum intelligentia adjuvatur. Diligenter itaq; legendae sunt Graecorum et Romanorum hujus generis orationes, inprimis Graecorum, qui frequentius Romanis, aut delectationis, aut hominis alicujus ornandi causa laudationes scriptitaverunt. praeter Xenophontis Orationem de Agesilao, quae extat pag. 651 Operum, supersunt ad imitandum proponendae Isocratis orationes, tanquam πανηγυρικὸς λογος p. m. 80. Operum. laudatio Helenae p. 400. Busiris i.e. Busiridis laudatio p. 430. et παναθηναϊκὸς p. 454. nam laudem hujus formae consectatus est Isocrates, non enim ad judiciorum certamen sed ad voluptatem aurium scripserat, teste Cicer. in Orat. c. 12. Cujus generis praeterea sunt ἐπιτάφιοι λογοι Periclis apud Thucyd. Lib. II. a cap. 35 sqq. tum Lysiae ἐπιτάφιος λογος τοῖς Κορινθίων βοηθοῖς i. e. Oratio funebris in laudem sociorum Corinthiacorum, quae est inter orationes ejus 2das pag. 11. Praeterea Platonis Meneximus sive funebris oratio p. m. 402. Operum, qua Athenienſium in variis proeliis pro patria defunctorum memoria celebratur, tam eleganter scripta, adeo probata posteris, ut Ciceronis adhuc aetate eam quotannis illo die, Athenis recitari necesse fuerit secund. Ciceronem in Orat. c. 44. de quarum laudationum funebrium apud Graecos indole et natura disputavit vir egregius Joan. Taylorus in Lection. Lysiacis c. 3. Ad Graecorum exemplum funebres etiam laudationes Romanis placuerunt teste Polyb. VI. Histor. Cathol. c. 51 et 52. Dolendum vero est, nihil harum orationum ad nos pervenisse. interim hoc quicquid est dam-

ni

ni refarcient nonnullae Ciceronis orationes et Plinii Panegyr. veluti Ciceronis Manliana sive pro Leg. Manil. et pro Marcello, quae tota laudibus Caesaris et gratiarum actione consumitur. Sic etiam Historici saepius virorum illustrium et civitatis eloquia narrationi suae inseruerunt, uti semel atq; iterum Thucydides Themistoclem Lib. 1. c. 138. Civitatem Atticam et personam Periclis Lib. II c. 40 et 41. ipsum Periclem Lib. II. de Bell. Peloponn. c. 65. laudavit. Ita Livius saepe aeterno suo operi inseruit orationes ejusmodi. His igitur optimis Graecorum Romanorumq; exemplis ad similem puerilem sensum accendi nos patiamur, reliqua ut minoris momenti nec sani ubiq; coloris cum quadam cautione legamus. Plura veterum laudationum exempla coacervavit Vossius I. Instit. Orat. c. 5. sed haec tamen quae secundum Rhetorem Nostrum commemorari ad pueri intelligentiam sufficient, recte autem Plinius I. Epist. Epist. 5. stultissimum, credo, inquit, ad imitandum non optima quaeq; proponere. Prudentiae quoq; haec ratio esse debet, ut quo sterilior sit laudum in hominibus materia, eo magis transitione ab hypothesi ad thesin utamur, h. e. orationem ab homine avocemus et ad universum genus traducamus, tanquam si Jctum aut Theologum laudare necesse sit, in quo tamen praeter doctrinae ejus cancellos nihil eximii fuit laudetur ipsa doctrina ejusq; scientia, ostendatur quoq; quantum boni habeat artium bonarum scientia non initio et quasi per transennam sed per totam vitam copulanda cum ejus doctrina. hac enim ratione et vulgus egregie nos defunctos esse laudatione arbitrabitur et intelligentiores ab adulationis vitio nos abhorruisse sentient. Ita Isocrates in Helenae encomio magis Sophistas reprehendit, Paridem excusat, Thesei memoriam recolit, pulcritudinis in universum bona amplificat, quam Helenae formam multis laudibus extulit. Idem fecit in laudatione Busiridis, ubi copiosior est in descriptione Aegypti, quam rexit tyrannus, quam in ipso posteris commendando. Quo major vero virtutum copia in hominibus dignitate et ingenio illustribus erit, eo intolerabilior dicentis infantia erit si non iis, quae maximi momenti sunt, quam diutissime immoretur.

CAPUT VI.

De Locis Gener. Deliberat.

§ 64. Genus deliberativum. Cum Romani non solum in curia quid rei publicae interesset, sed etiam in concionibus comitiisve consultabant, inventum causae genus fuit, quod deliberativum vocabant ad exemplum Graecorum, quibus συμβουλευτικὸν γένος nominabatur, tanquam Aristoteli I. Rhetor. c. 3. hoc saltem adjuncto frequenter usi sunt Cicero, Quintilianus, Seneca Rhetor, alii. Deliberativum, quod in consultatione positum

tum, habet in se suasionem et dissuasionem, eodem magistro Aristotele l. l. Suasionis et dissuasionis natura non modo de re futura nos cogitare jubet, sed omnia quoq; in consilio dando sententiaq; dicenda ad utilitatis vel noxae demonstrationem refert. Omnis judicatio autem pendet a fine utilitatis, quae utilitas nisi verbis ludamus alia esse non potest nisi veri et simplicis boni consecutio, neq; contemnenda sane est Stoicorum opinio nihil utile esse quod non honestum sit existimantium. etsi enim utile et honestum sua natura sunt diversa; tamen in suasione secerni nullo modo possunt, alioquin sequeretur ut orator etiam fallax et mentiens bonum suadere debeat, quod a persona boni viri est alienissimum, propterea ad suadendum et dissuadendum jure assumitur dignitatis turpitudinisve ratio, ut constet, an illa utilitas vel damnum cum vero bono et malo h.e. felicitate miseriave necessitudinem habeat nec ne.

§ 65. Ab generis ipsius fine &c. Interim cum alia sit persona deliberantis, alia suadentis et dissuadentis, quarum illa bonum consequi et malum aversari cupit, haec quid prosit et obsit in utramq; partem ostendere debet, facilis sane ad intelligendum ratio est, cur utriusq; finis paullum sit diversus. nam deliberans omnia ad felicitatis appetitionem refert, suasor contra et dissuasor omnia ad utilitatem dirigit eorum quibus consilium dat. Etsi vero quibusvis, sive sapientibus sive de vulgo hominibus a natura ingeneratum est, ut inexcidibili quadam felicitatis cupiditate trahantur; in singularibus vero rerum causis praesertim dubiis, non omnes illam vim effectricem felicitatis cernunt; propterea Oratoris est vel suadentis vel dissuadentis scrupulos dubitantium animis eximere viamq; monstrare, qua vel adjuvare vel impedire felicitatis consequendae spem possis, tegatur omnino Plato in Gorgia p. m. 284. Cum igitur res omnis vel utilis vel noxia dici possit, manifestum est duplicem inde nasci finem, a parte videlicet deliberantium felicitatem, a parte suadentium utilitatem

§ 66. Subjiciuntur igitur huic &c. Quoniam vero tota utilitatis species, quam animo informet Orator ad felicitatis miseriaeq; humanae causas accommodari debet: satis intelligitur tot illam res rationesq; tanquam materiem sibi subjectas habere, quot quantisq; haec regantur, unde simul apparet utilitatis locos neq; exponi neq; ad finem adjungi posse, nisi suasor dissuasorq; felicitatis genera formasq; notatas habuerit et tritas. igitur quid et quotuplex felicitas sit ante videndum erit, quam utilitatis vias intelligere possimus.

§ 67. 68

§ 67, 68. Est autem felicitas duplex &c. Felicitas autem, quam etiam beatitatem novo vocabulo nominavit Cicero 1. de Nat. Deor. c. 34. duplicis est generis, alia privata alia publica. privata erit vitae securitas et jucunda honestarum rerum prosperitas sine aegritudinis animi admistione. publicam in cumulata bonorum complexione cui nihil ad salutem civitatis tuendam augendamve deest, ponimus. Deata privatorum vita duobus bonorum generibus censetur, vel internis vel externis. interna sunt animi, tanquam virtus et sapientia. externa corporis et fortunae, quorum omnium partes, uti hoc loco breviter recensuit Rhetor Noster, sic alio loco in Init. Doctr. Solid. (pro subtilioris. nollem ita inscripsisset suam Philosophiam) nominatim philosophiae moralis Part. II. c. 1. qua via et ratione singulas consequamur docuit, qui tamen rivulos suos duxit ex fonte Aristotelis 1. Rhetor. c. 5.

§ 69. Publicae felicitatis &c. Publica felicitas itidem duabus partibus absolvitur, communibus cuig civitatis generi et propriis uni alterive ejus formae bonis. Bona omnibus communia sunt agrorum amplitudo, portus, pecuniae, vectigalia, classes, nautae, milites, commoda pacis, veluti leges et legum custodia, praesidiorum amicitiarum et societatum multitudo, quibus rebus non illud solum conficitur, ut salvae et incolumes, sed etiam amplae et potentes sint civitates. Priva singulis civitatibus bona ex formarum causis intelliguntur. Numerari autem earum formarum vulgo tres solent: monarchia, Aristocratia et democratia, sive ut Tacitus loquitur, cunctas nationes et urbes populus, aut primores, aut singuli regunt IV. Annal. c. 33. ubi ergo singuli imperant, ibi maxime spectatur honos et incolumitas domus regnatricis, opum potentiaeq amplificatio, in primis civium amor et caritas. ubi proceres rerum summam tenent, ibi maxime expedit morum et legum observantia, consiliorum vis et auctoritas item concordia. ubi penes multitudinem est rerum administratio, ibi vim maximam habebit libertas h. e. servitus legum, nec sollicita suae rei cujusque custodia, ita quidem ut nihil de capite civis aut de bonis sine judicio populi universalis detrahi possit, de quibus omnibus diversarum civitatium bonis legi debet Aristot. III de Republ. a cap. 7. sqq.

§ 70. Ad haec igitur vel comparanda &c. Quaeunq igitur ad obtinenda harum rerum commoda, tuenda et amplificanda idonean facultatem habent, ea vocari possunt utilia; quae vero nullam ad harum rerum bearum effectionem, imo contrariam vim afferunt, inutilia et noxia appellare

pellare licet. Quam sumtionem ut intellectu facilior esset Rhetor N. exemplo felicitatis privatae illustravit, qua est in benivolentia bonorum ac potentium, cui finitima jungi possunt, amicitiae, bonae existimationis, alia id genus argumenta si esset opus. Id solum generatim tenendum est, in tota hac disputatione duas potissimum res spectari, finem et modum. fines bonorum & malorum omnibus felicitatis publicae et privatae partibus continentur, atq hi proprie nec in deliberationem nec in suasionem dissuasionemq cadunt. Si enim de eo deliberandum foret utrum beati esse velimus, haud sane consilio multum egeremus, quoniam hanc cupiditatem nulla civitas, nemoq sanus repudiaverit. Sed de modo quaritur, qua ratione singulis in rerum causis hos ipsos consequamur. Etsi enim ad felicitatis desiderium nati sumus, tamen sive mala vitae consuetudine, sive pravis opinionibus corrupti vix interdum cernimus, quid facto opus sit, aut quid ad bene beateq vivendum valeat. Proinde in cohortando atq suadendo propositum Oratori erit illud, ut doceat, qua via bona consequi et mala vitare possimus, ut firmamenta causae suae afferat infirmetq contraria.

§ 71. Loci igitur utilitatis &c. Quot autem felicitatis cognoscenda, tot etiam utilitatis commendandae loci sunt, quos generatim vel suopte quisq ingenio haud difficulter reperiet, vel ex vulgaribus philosophorum Libris discet. Neq id tantum sufficit utilitatis locos quibus in ea re utuntur philosophi omnes in numerato habere, ita enim subtili magis disputationi, quam suasioni argumentorum materia pararetur quanquam si omnes eo modo scriberent, uti Cicero, qui v. c. II. de Offic. a cap. 5–25 quomodo conciliandi sint animi hominum et ad usus nostros adjungendi praeclare ostendit; nullam esset dubium quin a philosophis quoq ingenii popularis velut pabulum sumi possit; attamen prudenter suadentis dissuadentisq virtus haec est maxima, ut universa rationis argumenta ad temporum, locorum et personarum diversitatem accommodet, crebro enim haec mutantur. Proinde majori quam vulgus credit judicio est opus. Uti enim nemo, qui legum civilium scientiam consecutus est, ideo in omnibus quae incidunt, controversiis, quid aequum justumve sit confestim decernet, nisi longum usum ad causas attulerit: sic in hoc suadendi genere non poterit recte sententiam expliare suam, nisi res generatim cognitas ad singularem causam recte accommodaverit, quam prudentiae vim multo magis acuet usus rerum ejusq vicaria historia

quam

quam ulla generatim philosophandi ratio.

§ 72. Universa quidem &c Interim consiliorum, quibus suasionis et dissuasionis modus et tractatio regatur, non prorsus expers est Rhetorica. totum nempe artificium quadruplici praeceptionis genere descripsit Rhetor Noster. 1o rei agendae necessitudinem cum fine demonstrare, eamq augere ex locis magnitudinis Oratorem jubet, tum paragr. 73 auctor est ut bonorum malorumve spes aut metus exaggeretur. 3o paragr. 74. ut comparetur res cum re, causa cum causis, consilium cum consilio, fines cum finibus, et tandem 4o h. e. paragr. 75. ut rem certo eventuram esse augeremur. Quod ad priorem attinet ejus necessitas inde approbatur, quoniam deliberans non de fine dubitat, sed an haec aliave causa ad felicitatem conducat nec ne scire cupit. proinde Oratoris est persuadere rem agendam cum fine h. e. felicitate cum privata tum publica indissolubili vinculo ligari. proinde omnia argumenta vocari debent ad utilitatem, quod Rhetori Nostro est ἀγεῖν πρὸς τὸ χρήσιμον sumta locutionis similitudine a superiore illa Aristotelis formula, qua in genere demonstrativo honestatem ἄγειν εἰς τὸ καλὸν jubebat. Id autem fiet, si partes utilitatis singulas augendo illustraverit e locis magnitudinis, in primis effectorum temporum et locorum unde facile intellecta est quid in contrariis expediat. Dissuadentibus enim aut utilitas labefactanda est, aut causa hujus cum fine conjunctio argumentis dissolvenda; aut efficiendi difficultates augendae, denique ostendendum est parva inde oriri emolumenta detrimenta vero summa.

§ 73. Profecerit etiam ad &c Alterius praecepti veritatem necessitatemq natura hominum docet. Nemo enim est tam durus, queri non causae novitas et magnitudo vehementer moveat. hac in primis arte usus est Cicero in Orat. pro Leg. Manil. cum enim suaderet frugiferam hanc esse rei publicae legem de Pompejo adversus Mithridaten Ponti regem mittendo, non aptius sane animos se inflammare posse existimavit quam augendo belli magnitudinem, demonstrandoq bellum esse grave, quod duo se reges potentissimi conjunxerint periculosum maximis vectigalibus fortunis plurimorum civium valde pertimescendum cap. 8 et 9. proinde illum unum ad tantum administrandum imperatorem expeti oportere, eundem unum ab hostibus metui, praeterea neminem ac. io.

§ 74. Interdum etiam &c Maximus etiam locus, qui 3us est versatur in comparatione, quoniam enim temporibus, quae vim habent maximam

persepe

persaepe evenit, ut utilitas cum utilitate certet. Considerandum omnino est utrum e duobus pluribusve potius faciendum sit, aut quid potissimum faciundum sit, quo respicit Cicero II. de Orat. c. 82. Ea autem dubitatio nulla ratione melius expugnabitur, quam ipsa bonorum malorumq; comparatione, demonstrationeq; facta quantum hujus rei quam alterius fructus incommodave cum majori bono malove conjunctiora sint. Comparantur autem inter se bona, si animi commoda cum corporis, externa cum corporis, et ipsa inter se corporis, et externa cum externis commiserimus. Cum animi bonis corporis bona hoc modo contenderis, ut, beatior v. c. sit is, quo sit animi quam corporis bonis lenior, ut magis expetendum sit sapere quam valere, aut nobilem divitemq; esse, munerumq; amplitudine florere, quem locum Oratoriae exornavit disertissimus olim Witeberg. Orator Dn. Paul Bergerus in Orat. Lectior. p. 500 et 501. Ipsa inter se corporis sic; ut bona valetudo pulcritudini voluptatiq; anteponatur, vires celeritati. Cum corporis externa hoc modo; dives esse potius, quam maximis corporis viribus. Externorum autem, ut gloria divitiis, benivolentia bonorum facultatibus vid. Cicer. III. de Fin. Bon. et Mal. c. 13. Pari ratione publica privatis anteferuntur, ita ut pluris aestimemus rei publicae salutem quam paucorum commodum. Imo publica publicis hoc pacto, ut opum potentiaeq; aestimationem tantam non videri, ut pacis dignitati moriumq; et legum disciplinae anteponatur.

§ 75. Atq; est in hoc genere &c. In primis vero eximiam ad persuadendum vim habet locus ἀκολουθείας qua demonstramus rem aut sua natura fieri posse, aut hoc tempore et loco verisimiliter eventuram esse. Primum autem quid fieri possit aut non possit in utramq; partem maxime est quaerendum, incideretur enim omnis deliberationis nervus, si aut omnino fieri non posset, aut sine summa difficultate non posset, ideoq; persuadendum esse non solum effici posse quae suademus, sed curandum etiam ut facilia ut gloriosa videantur. ad quam efficiendi spem augendam habeat exemplorum aut recentium, quae notiora sunt, aut veterum, quae plus auctoritatis afferunt, copiam, vid. hic Cicero in Partit. Orat. c. 27. Unde verisimillima divinationis argumenta petat, ostendatq; rem eodem modo simili in causa, similibusq; temporibus haud dubie confectum iri, neq; solum ea sunt, quae nobis suppetunt, sed etiam quae nobis adversantur videnda, sic enim vel incitare vel reprimere hominum animos poterit Orator, ut non quid deliberantes, sed quid maxime velit suasor num consectentur.

§ 76. Suadendi dissuadendiq; Inutilis tamen omnis foret praeceptorum

rario

ratio, nisi ingenium conformemus ad optimorum exemplorum legem. Jam vei felicitatis duo sunt genera alterum publicum, alterum privatum: ita suasio dissuasioq duabus in causis cernitur vel in publicis vel in privatis. Ad publicarum causarum laudem incendent nos exempla orationum civilium apud rerum auctores passim obvia, veluti Herodotum, cujus orationes singulari Libro digessit Joan. Clearius; apud Thucydidem, cujus orationes quoq sigillatim haud ita pridem edidit Dauerus Lipsiae 1759. octonis. tum Xenophontem, cujus orationes olim collegit H. Stephanus 1570. fol. E quibus tamen omnibus seu Graecorum seu Latinorum legi in primis debent vel conciones Thucydidis vel Livii. orationes certe Livianas non mediocri profectus esse laude Quintilianus, cum Livium, ait, in narrando mirae jucunditatis fuisse, tum in concionibus supra quam enarrari potest eloquentem vocat X. Instit. Orat. c 1. Praeterea hoc dicendi genus in nonnullis veterum orationibus dominatur, tanquam in Isocrat. Panegyr. p. m. 80. Op. in Oratione ad Philippum Macedonem, quam Rhetor epistolam vocat, p. m 116 sqq. in Demosthenis Philippicis, quas in hoc causarum genere laudat Quintilianus III. Instit. c. 8. tum in Ciceronis non paucis orationibus, veluti in Manilliana, et in tribus Agrariis contra Rullum Tribunum plebis. In causis vero privatis justae veterum orationes non extant, plurimum tamen oratoriam hujus generis facultatem adjuvabunt plures Ciceronis Epistolae, veluti, ne quid dicam de aliis IV. ad Div. tribus epistolis 7. 8. 9. quibus Marcello suadet, ut Romam revertatur, humanitatisq Caesaris fructum capiat. Ceterum tametsi omnes res eandem ferme habent naturam dubitandi, sive in causis publicis sive privatis versaveris, tamen quia cognitio suasioq rerum generatim sumtarum non tam ad agendum proprie quam ad disputationem philosophicam spectat, supervacanea quoq omnis earum tractandarum praeceptio videri potest. qui enim finitarum quaestionum i. e. certis hominum personis et temporibus notatarum vim rationemq tenet, facile quid utile et noxium sit, in communi disceptatione, detractis scilicet temporibus et personis exquiret. Si quis tamen velet, ut mos est hodie tyrannus, virtutem, doctrinam, rem aliquam universe suadere, ille hujus etiam instituti gratia adeat praestantissimum magistrum Cicer. III. de Orat. c. 29 et 20. Interim has quaestiones infinitas h. e. sine certarum personarum interpositione procul ab Oratoris persona officiove removerunt veteres, et quotquot hodie sunt saniores Rhetorum. Meretur hoc loco legi Cicero I. de Invent. c. 6.

CAPUT VII.

De Locis Generis Judicialis

§ 77. Inter

§ 77. Judiciali generi &c Judiciale dicendi genus Grœcis dicitur δικανικὸν sumto nomine ἀπὸ τῆς δίκης justitia, quoniam ejus tam Athenis quam Romae in foris et coram tribunalibus judicum creber fuit usus, unde simul intelligitur in hoc proprie accusationis et defensionis argumentum cadere, recte Quintilianus III. Instit. Orat. c. 9. officiis constat duobus, intentionis et depulsionis. in utrog quid justum et aequum sit, quaeritur, non enim is modo qui accusat et intendis actionem, sed etiam infitiator qui removet accusationem ad juris et aequi rationem omnia conformat.

§ 78. Sed quicung in &c Esi vero quaecung accusationis depulsionisve nomine continentur latissime patent, in iisq copiose describendis multum operae et studii collocarunt veterum Rhetores: tamen omnis illa locorum silva ad tria potissimum capita referri potest. Quicquid enim hic in controversiam venit, in eo quaeri solet, vel factane res sit, aut quid sit, quove nomine venire debeat, aut si est facta, qualis sit, rectene, jure, consilio et malitia, an prave, injuria, casu et imprudenter facta esse videatur. Cujus distributionis fundus quoq est apud Cicer. I. de Orat. c. 14. In primo capite conjectura locum habet, unde constitutio ut vocatur conjecturalis. In altero definitio, unde constitutio definitiva. In tertio ratio reddi debet, unde status, quem vocant, qualitatis vid. Cicero in Partit. Orat. c. 9. Harum constitutionum una et simplici absolvitur oratio, raro duabus, omnium rarissime tribus, ideoq Cicero in Partit. Orat. c. 29. in omnibus, inquit, causis tres sunt gradus ex quibus unus aliquis capiendus est. Prima controversia utrum factum quid sit necne sit, sola dominatur in Oratione Cicer. pro Roscio Amer. Altera cum disceptatur quid sit, raro integram orationem, saltem apud Ciceronem occupat, sed aliis causis inseritur. Tertia, ubi quale sit anquiritur, ex oratione Ciceronis Miloniana intelligitur, nam de facto non disceptabatur, an Milo Clodium interfecerit, id enim ipse confitebatur, neq de eo ambigebatur an civis, qui civem occiderit parricidii reus esset, sed eandem illam jure factam esse contendebat Cicero, quoniam Clodius Milonem, non Milo insidias struxisse dicebatur Clodio, unde simul apparet ratio, cur omnes tres quaestiones in unam eandemq orationem incidere non possint. Si enim de facto quaeritur, otiosa omnis est nominis aut juris disceptatio, vicissim si nomen vel jus facti demonstrandum erit, sua natura apparet inter omnes de facto constare.

§ 79. Ac fecisse quidem &c Primus ille quaestionis gradus et quasi conflictus

conflictio cum adversario comprehendit statum conjecturalem. accusatori enim ita consistendum est, ut conjiciendi quadam arte factum esse ajat. defensori contra, ut quod objicitur factum, neget. Alterutrius sive criminatio sive infitiatio ex eo vim suam contentionis nanciscitur, utrum aliquis facere quid potuerit fecerit q an secus. Sed de hoc statu quaecunq dicii poterunt, jam occupata sunt in Loco de Possib. et Impossib. Interim notetur praeclarus ille locus Cicer. II. de Offic. c 14. ubi, semper, inquit, est judicii verum sequi: patroni, nonnunquam verisimile etiam, si minus sit verum, defendere. verum si de facto ambigi non possit, aut factum ipsum fateare necesse sit. quaestio tamen exoritur saepe an in ipsa re sit, quod ab adversario ponitur in verbo. negare enim poteris factum eam vim habere, atq id esse quod adversarius crimetur. proinde secundus ille contentionis gradus Latinis dicitur constitutio definitiva, ita etiam appellatur Ciceroni in Topic. c. 24 et 25. Nam definitione vel informatione tractandus est. ex definitione autem constat causa cum de facto convenit et quaeritur id quod factum est, quo nomine appelletur. Tales sunt nominis quaestiones cum apud Ciceronem pro Caecina Sextus Aebutius negaret se Caecinam fundum ingredi conantem dejecisse, aut vim ei fecisse, quo loco monstrat Cicero quid sit dejicere quid vim facere a cap. 13—19. Sic in causa Rulli agraria, et in oratione pro Rabirio perduellionis reo, quam maxime opus erat vi et interpretatione vocabuli, popularis vid. 2. Agrar. c. 3 et 4. et pro Rabirio c. 4 et 5. Eodem modo in Orat. pro Murena quaerebatur utrum ea, quo Murena muneris consularis candidatus fecerat, ambitus crimine notari debeant necne. propterea ambitum et ambitionem solertissime secernit a c. 32—36. Similiter in Philipp. 2da quaestio inuidebat, an qui Caesarem interfecerant, parricidae appellari debeant c. 12 et 13. Ideoq in ejusmodi nominis controversia vis et sententia vocabuli breviter definienda erit. Cum enim finitio rei alicujus proprias amplectatur potestates, nulla profecto re aptius clariusq ostendi potest. illam rem, de qua agitur, alio nomine appellari oportere, atq adversarius vult, quam brevi et circumscripta nominis explicatione. Quales vero definitiones esse debeant, et quotupliciis sint generis, docebit Cicero II. de Orat. c. 25. proinde sit definitio illa brevis, aperta, ex opinione hominum similibus exemplis, rationibus confirmata. unde apparebit factum nostrum cum verbi descriptione conjungi an ab ea secerni debeat, ut rursus docet Cicero II. de Invent. c. 17 et 18. tum integrum erit alterutri contrariae descriptionis rationem sub examen vocare, eamq in invidiam adducere. loco illo communi, per quem indignabitur, adversarium non modo rerum sed etiam verborum potestatem sibi arrogare conari. conferatur hic omnino Quintil. VII. Inst. c. 3.

§ 80. Sed

§ 80. Sed maxime quaeri solet &c. Quodsi vero neg. de facto, neg. de facti appellatione dubitari potest, id cujus insimulatis reges tale esse, quale adversarius dicat v.c. aut delictum aut crimen, et rectum esse quod feceris defendas, ideog tertia haec disceptatio aequi recti juris disputatione absolvetur, unde etiam apparet cur eadem a veterum Rhetoribus et quidem Graecis δικαιολογικὴ σκέψις, Latinis Juridicialis Constitutio appelletur vid. Aristot. 1. Rhetoric. c. 3. et Cicer. 1. de Invent. c. 11. Nam cum factum convenit jure an injuria factum sit, quaeritur sine ulla nominis controversia, hoc modo; justumne sit an injustum τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον apud eund. Aristot. l. l. Injuria accusator, jure factum esse ostendet defensor, tanquam in hoc Quinctil. exemplo, ubi accusator apud Duumviros actionem intendere posit hoc pacto: Horati perduellionis scelus commisisti, sororem enim occidisti, Horatius ut depellere posit, non commisi, debui enim occidere eam, quae hostis morte maerebat, quaestio est an haec justa causa? III. Instit. c. 6. atq; hic est qualitatis controversia, quae ut probabiliter tractari posit, faciendum est, unde ejus rationes petantur et quomodo vel confirmari vel infirmari debeant.

§ 81. Justum igitur est &c. Justum appellamus id, quicquid legibus felicitatis sive publicae sive privatae procreatricibus respondet. Injustum contra, quicquid iisdem adversatur. Leges autem sunt vel divinae et naturales, vel humanae sive scriptae sive non scriptae, ipsaeq; vel communes vel singulares h. e. quibus in universum omnes aut certi quidam homines tenentur, quarum plerarumq; legum finitiones dedit Cicero II. de Invent. c. 22. Neq; quales sint felicitatis gradus ex iis, quae ante ad Cap. VII. disseruerant, obscurum esse potest. Idcirco his sive felicitatis sive legum et juris partibus, quicquid inimicum esse videbitur, id in accusando demonstrare et amplificare oportebit, ut appareat quomodo is, qui injuriam fecerit, alterutrum vel utrumq; genus vel simile vel majus minusve temeraverit, et quomodo injuria affectus alterius vel imprudentia vel malo consilio aliquam felicitatis partem amiserit. Unde profecto intelligitur rationes et firmamenta rationis in hoc disputationis genere tam late patere quam legum et felicitatis fontes, unde omnis contendio aequitatis et juris manat.

§ 82. Atq; hinc facile patet &c. De locis unde haec controversia ducatur res certa est, modus vero et ratio, qua ex illis partibus injuria demonstrari et jus confirmari conveniat, nisi praecipio accesserit nonnihil obscuritatis habet. proinde quomodo comparetur aequitatis judicialis tractentur argumenta in utramq; partem secundum Rhetores priscos videndum erit.

§ 83. Ab lege igitur &c. Cum enim ex legis formula factum vel probetur

betur vel damnetur, illa vero difficiles interdum in singulis causis explicatus habeat, ipsam legem diligenter perscrutari oportet, ne ulla dubitatio superfit talem videri legis sententiam, qualem ad causae suae utilitatem accommodaverit. Scilicet ubi lex cum facto dissidere videbitur, primum legem ita interpretabitur docebitq; nihil magis aut minus hac lege cautum esse, quam id quod arguitur factum, neq; hoc ambiguum existimare oportere, quoniam quid verisimile sit legislatorem voluisse partim ex omni verborum cohaerentia partim legislatoris persona aliisq; rerum adjunctis fiat perspicuum, praterea omnes in consuetudine sermonis sic uti solitos esse eo verbo uno pluribusve in ea sententia, in qua is, qui dicit accipiendum esse demonstrabit. Sed in eo genere in quo quale, quid sit ambigitur, saepe ex scripti interpretatione existit contentio, cum alteruter diserte verbis legis nititur, alter ad id quod legislatorem sensisse dicet omnem accommodabit orationem, atq; haec duplex disceptatio Latinis vocatur vel ex scripto vel ex sententia legis controversia tanquam apud Cicer. II. de Invent. c. 42. Hermogeni in Partit. Orat. Sect. ii dicitur ἡ κατὰ ῥητον καὶ διανοιαν ζητησις. Scriptum legis defendetur hac parte ut demonstremus verba esse plana et aperta, deinde ostendamus multa incommoda consequi si instituatur ut quis a scripto recedat. Sic enim dixerit, nullas leges fore ratas si earum sententiam non ex ipsis verbis, sed suspicionibus quibusdam cerebrinis aestimaverint, nec judices, certum, quod sequantur, habituros si semel a verbis et scripto legis recedere consueverint. Contra scriptum autem qui dicet, primum inducet locum, per quem aequitas causae demonstretur, deinde argumentetur leges in consilio legislatoris et utilitate communi non in verbis consistere, summam quandoq; injuriam esse jus summum h. e. verba legis urgere, quae nullam rem inutilem aut iniquam fieri velit, multa in scripto legis tacitis exceptionibus caveri; denig nullam fore legem aut testamenti pactionem si unusquisq; velit nuda spectare verba, nec ad voluntatem ejus, qui verba habuerit, respicere. Utrog hoc statu scripti et sententiae causas suas mirabiliter passim ornavit Cicero, tanquam in orat. pro Caecina c 17 et 18. cujus ipsius artificii meminit in Orat. c. 29. praeceptionum vero de hac constitutione legitima longe uberiorem copiam dabit Cicero II. de Orat. c. 26. et in Orat. Partit. c. 38 et 39.

§ 84. Alter modus est in analogia &c. Alter modus legitimae constitutionis in analogia et rationis quadam conclusione cernitur, quam veteres Rhetores et quidem Graeci συλλογισμον, uti Hermogenes in Partit. Orat. Sect. 7. Latini vero ratiocinationem vocarunt, ex qua ratiocinatione controversia nascitur, cum ex eo, quod scriptum est, aliud quoq; quod non scriptum est invenitur, sive cum res proposita sine propria lege in disceptationem

venerit

venerit, ea tamen ab aliis legibus similitudinis rationem accupetur, tanquam in hoc, Lex apud Romanos erat, qui artem ludicram exercuerit in XIV. ordinibus ne sedeat. Sumamus eum, qui Atellanam fabulam luserit vel legerit in XIV. ordinibus sedisse. deinceps excitatum fuisse de spectaculis, egisseq eum qui loco deturbaverit. Injuriarum intentio accusatoris erit, non artem ludicram exercui, depulsio rei, artem omnino ludicram exercuisti, nam ofcos ludos egisti. quaeritur an in eum, qui Atellanam egerat legis theatralis sanctio cadat, neget hoc accusator, ajat reus. Simile exemplum vid. apud Quintil. III. Instit. c. 6. Loci autem argumentationis, per quam ad id, quod nominatim cautum lege non est, perveninus, hujusmodi fere sunt. 1um rem de qua quaeritur cum lege sic contendat, ut id quod quaeritur rei, de qua constat, prorsus simile esse videatur, unde ratione concludat Legislatorem de hac nominatim re nihil scripsisse, quoniam infiniti operis res foret omnes ejusdem generis causas suis nominibus suisq formulis sigillatim designare, ideoq neminem posse omnia complecti scriptura, sed commodissime jam eum scribere, qui curet ut quaedam ex legibus intelligantur vid. hic Aristot. 1. Rhetor. c. 13. Deinde etsi res de qua agitur totidem verbis descripta non fuit, tamen in rebus vel paribus vel majoribus vel minoribus vel contrariis similiter scriptum judicatumq esse demonstret, quo spectant omnes causae a Quintiliano commemoratae VII. Instit. c. 8. ubi quaeritur an quod semel jus est, idem et saepius? an quod in uno etiam in pluribus? an quod antea, etiam postea? an quod in toto idem in parte?

§ 85. Tertius est in pugnantium &c. Quoniam vero accidit saepe ut duae inter se leges aut plures discrepent, hinc ex contrariis legibus controversia nascitur, adeo ut dubium sit, quid judicem sequi, quid oratorem confirmare aut infirmare oporteat, in qua conflictione legum contrariarum, quae ANTITHESIS vocatur, in primis considerandum est, scriptine an rationis habeat controversiam h. e. utrum lex legi verbis an sententia obstet, qua in causa iidem loci, quibus scriptum et voluntas constat obtinebunt judice Quintilian. III. Instit. c. 6. Deinceps contendere oportebit leges, videndo utra lex major sit aut gravior h. e. utra vel majorem habuerit auctorem Deum an hominem, vel ad majores i. e. ad utiliores honestiores et magis necessarias res pertineat, ad res divinas an humanas, ad rem publicam an ad privatas, ad res magnas an parvas, ex quo conficitur ut si leges duae aut plures conservari non possint, quia dissentiant inter se, legibus v. c. divinis et naturalibus humanae et civiles legibus proprie sic dictis Senatusconsulta cedant, eaeq maxime conservandae putentur, quae ad salutem potius publi-

cam

cam quam privatam, ad majoris quam minoris momenti negotia pertinere videantur. tum considerare oportebit utra lex permittat an cogat, imperet an vetet, nam id quod permittitur voluntarium est, alterum quod cogitur necessarium, et quae vetat, quasi exceptione quadam corrigere videtur illum quae jubet. tandem quo tempore lata sit quaerendum est, ut quid auctorem legis voluisse in ejusmodi tempore verisimile sit intelligatur, nec non utra lex antiquior an posterius lata sit, nam postrema quaeq; prioribus gravior et magis conservanda censetur. In hoc genere, utramq in partem haec potissimum praecepta conveniunt, legatur hic omnino Cicer. II. de Invent. c. 49 et Quintilian. VII. Instit. c. 7.

§ 86. A partibus autem felicitatis &c Quomodo ex legibus accusandi et defendendi argumenta sumere nos oporteat vidimus, nunc quo pacto a felicitatis humanae publicae privataq; partibus duci possint ostendendum nobis foret, nisi ea esset artis series, et sic inter se essent pleraq; connexa et apta, ut quae paulo ante suasionis dissuasionisq; causa dedimus praecepta, eadem ad genus judiciale transferri debeant. Esti vero pro accusatoris defensorisve personae injuriae magnitudo vel augenda vel extenuanda sit, tamen non singulari controversiae statu opus est, quem nonnulli Rhetores statum quantitatis appellarunt, eumq; adscivit secund. Aristot. I. Rhetor. c. 14. et defendit Vossius in Instit. Orat. c. 6. Libr. I. Sect. 7. nihilominus tamen si quis causam quaestae hujus conflictionis diligenter investigaverit, totum in eo esse reperiet, quod, quale quidq; sit quaerimus. proinde meo quidem judicio recte et Cicero et Quintilian. non plures, quam tres quaestiones, an sit? quid sit? quale sit? sumsisse videntur.

§ 87. Est autem etiam quidam &c Atq; hinc de triplici generis judiciali quaestione. Cum autem veteres constitutionem juridicialem in duas partes diviserint, quarum alteram absolutam, alteram assumtivam nominarint, vid. Cicero I. de Invent. c. 11. expositi priori, de altera brevissime dicendum erit. In hac posteriori aequitatis humanitatisq; ratio habetur. Cum enim factum negari non potest, nec ipsa causa quicquam ex se firmi das ad recusationem, aliunde quid defensionis assumitur, quae propterea assumtiva nominantur. Ejus sunt partes quatuor: Concessio, translatio culpae, purgatio et deprecatio. Concessio est, per quam reus facti culpam a se non amovet, sed peccasse se confitetur. 2do translatio criminis haec est, cum reus, id quod arguitur, confessus, intentionem facti in alium dimovet, alteriusq; se peccato inductum esse demonstrat, cujus ipsius argumenti praecepta dare non est necesse

vulgo, efficitur fore, ut speculetur quid sentiant auditores, quid expectent, quid velint, et quo deduci oratione quam facillime possint. Affectus autem Graecis dicuntur παθη ἀπὸ τὸ πάσχειν passum esse, quasi perpessiones, morbi, perturbationes secund. Cicer. III. Tuscul. c. 4. Quintilianus tamen recte verti et proprie dici posse affectus Libr. VI Instit. Orat. c. 2. Affectus autem sunt secundum Aristotelem II. Rhetor. c. 1. ejusmodi, per quos animi hominum immutati aliter judicant, eosq comitantur vel molestia vel voluptas. Brevior definitio est secundum Rhetorem Noftrum, imo vero Ciceronem IV. Tuscul. Quaest. c. 7 affectus, vehemens animi vel contractio vel elatio (: nihil elegantius potest dici:) pro opinione vel boni vel mali. Unde oriuntur quatuor principes, duae ex boni appetitione, amor et laetitia. Duae ex mali opinatione odium et tristitia. Singulis vero affectionibus partes utriusq generis plures subjiciuntur, quas omnes enarrare noftri non est loci, dixi haec debent et possunt ex Philosophorum Libris, nominatim Rhetoris Noftri Init. Doctr. Solid. et quidem Psychol. c. II a paragr. 64.

§ 89. Etenim Rhetores alia fere causa ac Negs si omnis etiam affectionum disciplina generatim illustraretur, id multum ad dicendi facultatem vel laudis vel adjumenti habuerit. alio enim fine, aliove modo de his ipsis disputant Philosophi et Rhetores. Metaphysici quippe rerum universarum cupidiores quam singularium, naturam animi generatim perscrutantur, qualem vim commotiones habeant vel ad virtutis vel vitii sensum. item quomodo virtutis opus sit affectiones in gyro rationis continere docent. contra Rhetores easdem quidem permotiones sagaciter cognoscunt et tractant, quantum ad animi voluntatisq impulsionem moveant, uno verbo, quantam vim persuadendi habeant, cujus gratia omnis est dicendi scientia. Ideoq nec omnes promiscue et minutatim affectionum partes sibi assumunt, sed iis duntaxat utuntur, quae regunt eloquentiam. Praeterea Philosophi in causis affectuum exiliter demonstrandis versantur, Rhetorum contra solertia longius latiusq patet. primum enim eodem modo uti Philosophi causas indagant, quibus mentes hominum incitantur et reflectuntur. deinde quinam incitari et revocari; tandem erga quos moveri et affici debeant, praecipiunt. Quarum rerum cum multiplices, copiosae et variae sint rationes, facile apparet non tam philosophantium subtilitate hic nobis opus esse, quam communi vitae consuetudine et morum humanorum usu. Orator enim ita sensus mentesq hominum pertractat, ut non valde desideret Philosophorum descriptionem. sed vitae humanae causas veritatemq imitetur, quam vel ex Historia, quae est usus humani vicaria, vel observationibus aoptimo quoq Rhetore factis cognoscet. Hinc redditi ratio potest, cur Aristoteles totam illam doctrinam pathologicam aliter in Ethicis suis, tanquam Ηθικων μεγαλων Magnorum Moralium (: absurde sit redditus, i.e. philosophiae vitae majoris:) Lib. I c. 13. et a c. 20. aliter in Libro II Rhetor. illo aureo, ut Vossius ju-

Dicat

dicat II. Instit. Orat. c. 1. tractaret. Discrimen quoq; pathologiae philosophicae et Rhetoricae praeclare ostendit jam olim Cicero I. de Orat. c. 51 et 53.

§ 89. Tredecim sunt fere affectus &c. Sunt autem tredecim ferme affectus, quibus Orator ad dicendi facultatem utitur. Nomina eorum sigillatim indicare nihil attinet, quoniam a Rhetore Nostro, licet dissimili Aristoteleo ordinatione recensentur, neq; institutum nostrum patitur, ut omnium affectionum origines vim et opportunitates ad singulas hominum temporum et locorum causas persequamur, cum ea in re otium nobis fecerit Aristoteles loco antea laudato II. Rhetor. toto Libro, et qui Aristotelem strenue sectatur Vossius Instit. Part. I. Libr. 2. c. 2—13. Satis hoc loco nobis sit totam affectuum sive argumentorum permoventium complexionem generatim definire, ut ratio intelligatur, qua Oratori mentes sensusq; hominum sint pertentandi, tum uno altero ve exemplo res illustrare, unde ceterorum similitudo constet. Cavendum sane ab eorum sive errore, sive credulitate, qui haec omnia quanta quanta sunt e philosophorum scholis repetenda esse censent. Si enim inquiunt vulgo Orator didicit perturbationum causas, signa, effectiones, tanto facilius inventum ixi sperant, quid valeat, ad iram v. c., misericordiam, alias id genus affectiones vel concitandas vel reprimendas. Sed falsos esse et fallere alios qui ita opinantur, cum inde apparet, quoniam Oratoris quam philosophi fines sunt latiores, tum aliunde cognoscitur, uti enim nemo dixerit de bono utili justo° disserendi facultatem in solo philosophorum regno esse; ita quis contenderit Rhetorem domesticis instructum copiis, de motibus animi praecipere non posse, nisi adjutrice philosophiae formula? imo philosophi in alienas possessiones irruentes hanc doctrinae partem, Rhetoricis propriam quasi desertam occuparunt, conferatur Quintilian. in Procemio Instit a parag. 16. sqq.

§ 90. Et causarum quidem &c. Quod attinet ad permotionum causas in harum indagatione non multum dissimili versantur in arte Rhetores et philosophi. Ideoq; Rhetores a philosophis nonnihil auxilii, summum argumentorum puncta si volent et per me licet, arcessant. Sed quid habent tamen illi magnopere quod non in communi hominum intelligentia situm est? num qui iratum facere auditorem velit, haesitabitne in causa, utrum ira a cupiditate puniendi doloris vel aliunde nascatur? Non enim profecto in causis est obscuritas, ut eas requirat Rhetor ab istiusmodi magistris. Nemo suopte ingenio non cernit, amorem e beneficii et pulcri sensu; benivolentiam ex injuriae contemtu et despicientia; misericordiam ex miseria alterius injuria laborantis; gratum animum ex conatu beneficium reddendi; pudorem ex vitiorum dolore vel jactura bonae famae; impudentiam ex fu-

ga

ga contemtuq; bonae existimationis; iram ex libidine ulciscendi puniendiq; ejus, qui nos laesisse visus est; odium ex ira inveterata; indignationem ex dolore felicitatis, qua quis se dignum, alterum indignum judicat; aemulationem ex eo, si hoc eodem, quod concupierat, alius potiatur, ipse careat; tandem metum ex opinione impendentis periculi aut molestiae gigni.

§ 91. Cum autem quaeritur &c. Alterum vero caput, ubi quaeritur quinam homines hoc illove modo commoveri, tanquam irasci, amare, odisse, metuere, misereri soleant, prorsus inotatum et mutum relinquunt philosophi. Neq; id mirum, universa enim illorum ratio tot tamq; diversis saepe generis, aetatis, divitiis, fortunae, temporum, et adjunctorum formis se adstringi non patitur. Alii autem aliud hominum corpus alio facilius vel calore vel frigore vel aliqua impulsione vehementi afficitur, labefactatur et ad morbos compellitur: sic omnes animi non uno eodemq; modo afficiuntur, alii citius incalescunt, alii fervorem incitationemq; lentius recipiunt, alii molles et ad accipiendam et ad deponendam offensionem, aliis cupiditas permanat quasi in venas et tanquam medullis inhaeret, proinde Orator imitari debet usu rerum subactos medicos, uti enim hi priusquam aegrotanti remedia parant, non solum morbum ejus cui mederi volent, sed etiam consuetudinem valentis et naturam corporis cognoscere student: sic etiam Oratori ante sunt hominum sensus mentesq; perscrutandae quam in iis vel exigendis vel inclinandis vel deprimendis versetur. Non enim omnes homines eodem tempore iisdem de causis ad eadem genera permotionum adducuntur indeq; revocantur, idcirco diu multumq; secum animo reputare debet Orator, qui irasci, qui diligere, qui laetari, qui misereri, qui impelli se ad alios his similibusq; animi perturbationibus finitimos patiantur. Id quidem in genere notum est vel ex elementariis Philosophorum Libris irasci omnes, qui dolent acerrimeq; ferunt se aut suos injuria laesos esse, quod solum si quis dixerit, non magnam profecto ad utilitatem causae suae vim attulerit. nihilo enim plus intellexerit, quam quod in priori causa erat. Sed teneat necesse est: irasci facilius senes juvenibus; nobiles ignobilibus; languidos et aegrotos bene valentibus; pauperes ditioribus; milites togatis; fortes ignavis; ingeniosiores stupidis et hebetibus; amantes iis, qui hominis vel rei caritate non tenentur, bene meritos nihil meritis; sitientes esurientesq; bene pastis et saturatis, quemadmodum pro diversitate conditionis et aetatis hominum docuit Aristot. II. Rhet. c. 2. Ita lenes sunt, qui oculorum, auditus, tactionum, odorationum, saporum voluptate suavitateq; se delinire patiuntur, h. e. qui libenter interfunt ludis, choreis, conviviis, confabulationum circulis, otiosq; vitam et tempus terunt, procul habita negotiorum molestia, legatur rursus Aristotel. qui instar

omnium

omnium est II. Rhetor. c. 3. Eodem pacto qui diligere, qui laetari, qui misereri, qui invidere solent, quomodo animati sint pluribus ostendere possem, nisi optimus harum rerum magister usus adesset, nec omnes ejusmodi notae ab Aristotele philosopho non in umbraculis hominum sed in ipsa claritate et palatio Philippi Macedonis versante, in singulis affectuum locis diligenter adnotatae fuissent.

§ 92. Ac prope similiter &c. Cum personarum hominum in quas animi motus cadunt duplex sit forma ut antea indicatum est. altera eorum qui movent. altera eorum in quos, vel quorum causa moventur, Rhetoris sane est, non solum ostendere, qui commoventur atq omni ratione flectantur, sed etiam in cujusmodi homines hoc illove modo impellantur auditores, atq hoc ipsum est 3um pathologiae rhetoricae caput, in quo similis varietas temporum, aetatis, fortunae, generis nec minor ars regnat. Enitendum scilicet Oratori est, ut diligenter videat cujus generis, cujus dignitatis, aut fortunae, cujus aetatis, cujus denig ingenii et morum hominibus vel amor concilietur, vel odium creetur, quibus maxime invideri soleat, quos salvos velimus, et quorum vulgo misereamur, cujus prudentiae necessitaten unica eorum qui amari soleant, descriptione Rhetor Noster illustravit Aristotelis II. Rhetor. c. 4. praecepta in compendium redigens. Similiter quibus irasci dicamur, erga quos tenes simus, quos odisse, quos metuere soleamus, apud quos pudeat, quibus indignemur, quibus invideamus, quos aemulemur demonstrare possem, nisi hanc ipsam disputationem diu occupasset Aristoteles et qui Aristotelis Rhetoricam recentioribus temporibus illustravit Antonius Riccobonus (Italus:) propterea qui hos in consilium vocaverint adjunxerintq ea, quae in communi vitae consuetudine aut optimorum, in primis veterum Librorum lectione animadverterunt, facile in quos animi hominum moveantur sua sponte intelligent.

§ 93. Neq existimandum est &c. Neq enim dubium est, quin major saepe personis quam factis et rebus vis insit ad iram, lenitatem, mansuetudinem, timorem, miserationem aliasq id genus perturbationes vel excitandas vel sedandas. Sic timor quidem incutitur ex impendenti discrimine salutis aut famae, sed vehementius augetur si ostenderis iracundos esse homines potentes, qui alios deprimunt, mordaces et virulentos a quibus nihil aequi et humani, sed insidias, crudelitatem, vindictam, atrocitatemq certissime exspectes. Eodem pacto invidemus quidem alterius bonis et commodis, sed idem motus incenditur acrius, si constet aut paribus aut inferioribus quicquam honoris aut fortunae obtigisse, et quidem paribus, cum intolerantius se jactant, cum nihil peperercrint virtute et meritis, sed potentiorum assentatione et gratia. Inferioribus autem invidemus, cum nos relictos sentimus.

mus, illos autem ex humili loco in altiorem evectos esse. Ita miseremur quidem aliorum, si acerbos miseriae casus tulerint, sed longe acrioribus misericordiae stimulis agitamur, si afflictae et prostratae sint res hominum notis amicorum, bene merentium, innocentium, bonae frugis, adolescentum insignis parentibus orborum. Hinc mirum non est, cur optimi quiq veterum Oratores magis personas hominum, quam res in odium invidiamq, vel ad amoris, spei, laetitiae, misericordiae sensus causasq adducere allaboraverint. exemplo sit Cicero, qui in affectu miserationis potentissimus esse solebat, ut ipse de se profitetur in Orat. c. 37. hanc ipsam commotionem apud judices exaggerabat inde, quod injuria facta erat infanti pupillae I. Verrin. c. 58. praeterea quod unius anni criminatio homini bonorum omnium et patriae studiosissimo calamitati futura erat, et quod patris accusati filius admodum puer suo fletu et lacrymis fidem implorabat in Orat. pro Flacco c. 42. item quod reus salutem alterius servando illam verationis invidiam sibi conflavit pro Plancio c. 41 et 42. Ad eum modum paene omnes orationum Ciceronis epilogi pulcherrimis hujus affectus et hominum velut picturis abundant vid. Orat. pro Fontejo c. 17. pro Cluent. c. 70, 71.

§ 94 et 95. Ne quem autem offendat &c. Cum vero in perturbationum numero nonnullae vulgo ponantur, quae potius cessationem a motu aegritudinisq vacuitatem, quam meitationem animi sint, tanquam lenitudo in quadam assernatione injuriarum moderationeq animadvertendi et impudentia in contemtu rerum turpium sita. Sciendum est, maximam vim oratoris existere in hominum mentibus vel inflammandis vel ab his ipsis commotionibus ad affectus contrarios vocandis et restringendis, ad quem locum omnino legi debet Cicero 2. de Orat. c. 12. Etenim si invenerit Orator iram et pudorem causae, quam agit, obesse; prodesse contra lenitatem et invercundiam, illas occulte, nihil suspicantibus auditoribus tollat, has ingeniose dicendo efficiat. Neq obscurum est omnes perturbationes acerrime augendi contentione ascendi, contrariarum facultatem ex minuendi locis creari. Uti enim iracundia excitatur recte monente Antonio apud Cicer. II. de Orat. c. 51. si quod ipsis, ait, qui audiunt petitosum aut inutile sit, id factum augeas. Ita probabiliter sedabitur et in lenitatem commutabitur, si illud ipsum extenuaveris. hanc vero leniendi rationem mirabiliter exercuit Cicero, cum v. c. coram Caesare de ejus inimicis agit in Orat. pro Marcell. a cap. 7. Par atq eadem est ratio pudoris et invercundiae. pudor enim si inflammandus sit, maxime commemoranda et amplificanda erunt, quae existimationis et bonae famae offensionem habent. ad sedandum contra pudorem omnibus ejusmodi argumentis uti nos oportet, unde malorum

illorum

illorum, quae existimationi videbantur nocere, opinio minui possit. excitati illius pudoris egregium est exemplum apud Cicer. pro Coelio, c. 14. et apud Livium in Orat. Appii Claudii Lib. V: 6. impudentiae imaginem habemus in 1. Catil. c. 1. et 2. Catilin. c. 8.

§ 96. Unde igitur argumenta &c. Ceterum argumentorum loci, quibus commotiones vel excitantur vel comprimuntur, aut proprii sunt, aut communes. proprii ex ipsa affectuum constitutione et natura petuntur. communes cum locis cujusq causarum generis necessitudinem habent. Uti enim laetitiae et gratiae affectiones in genere demonstrativo; affectiones metus, fiducia et spei, pudoris et inverecundiae in genere deliberativo; tandem irae, lenitatis, amoris, odii, invidiae, misericordiae in genere judiciali maxime exercentur: ita praemonendum nulla est animi perturbatio, quae non ad illorum locorum similitudinem perduci possit, praesertim si ex causis quoq suis vel intendi altius, vel remitti debeat. Cum enim altera rerum causa, sive honestatis turpitudinisve, sive utilitatis sive felicitatis altera sit potior; sequitur ut in affectus quoad scilicet cum causis illis nexi sunt et apti, aut contentionis asperitas aut lenitas influat. Quomodo autem versari in utramq partem argumenta debeant, cum exemplis aliquot suis, tum praeceptis Antonius apud Cicero. declaravit II. de Orat. a cap. 48 sqq. Locos, unde v. c. indignatio possit commoveri submistrat Cicero 1. de Invent. c. 53 sqq. unde misericordia dabit locos Auct. Herenn. II. Rhetor. c. 31.

§ 97. Verum non omnia insunt &c. Etsi vero argumenta feliciter excogitata et tractata non parum valent ad animos perturbandos et concitandos, nihilominus tamen gratiam et vim suam perdunt, nisi cum sensu et orationis genere vehementi mixtoq proferantur, somnum certe vix tenuerint, qui audiunt, nisi impetus animi in dicente spectetur h. e. nisi quot animi motus sunt tot gestibus et commutationibus vultus et laterum demonstretur. In omnibus his quanta varietas et gravitas et persuadendi necessitas insit pluribus docuit Cicero III. de Orat. c. 57. sqq. proinde Rhetores summo jure negarunt, fieri posse ut doleat is qui audit, ut oderit, ut invideat, ut ad fletum misericordiamve deducatur, nisi omnes illi motus, quos Orator adhibere volet audientibus, in ipso Oratore impressi fuerint, quo spectant omnes Ciceronis II. de Orat. c. 45. item Horatii in Art. Poet. v. 102. praecepiones: si vis me flere dolendum est primum ipsi tibi: tum tua me infortunia tangent. Quae sententia tanto magis inculcanda eloquentiae tironibus, quo certius confirmat persuadendi virtutem, idq ipsum est, quod Rhetor Noster docuit in Orat. professionis rhetoricae adeundae causa recitata Lipsiae insertaq Opusculis ejus

Orat.

Oratoriis p. 32 §44. Sic quis neget illum Getam Terentianum vere iratum fuisse, qui legerit haec verba in Adelph. III: 2: 11 §44. ubi: ah me miserum, inquit, vix sum compos animi ita ardeo iracundia &c. Quam intolerabilis vero Orator sit is, qui cum actio incidat ardentior, nullam ipse animi perturbationem, nullam vultus et corporis incitationem ostendat, sed omnia solute et ofcitanter agat exemplo Marci Caldii olim apparuit, cui abfuisse hanc laudem ut permoveret atq incitaret animos notavit Cicero in Brut. c. 80.

§ 98. Atq etiam, qui non commoti &c Cum autem nonnulli Rhetores nostris temporibus extiterint, qui suaderent, ut si affectum illum, quem in eo qui audit effiere volet Orator, ipse non habuerit, eundem certe externo quodam imitationis simulacro simulet, profeminata est affectuum movendorum vitiosissima et nervorum maxime expers disciplina, ut quod forti et virili animi impetu, actionisq ardore aut remissione non possent, id levissimis sententiarum acuminibus, puerilibusq verborum aucupiis floribusq tentarent, quae institui ratio quantum impediat fidem et persuasionem ipsa affectuum natura docet. Sic enim omnes orationis vires debilitantur et commotiones ipsae fecuritate discentis mutant et laxantur secund. Quintil. XI. Instit. c. 1.

§ 99, 100. Atq hujus rei efficiendae &c Imo hac in re nihil fieri, nihil imitatione simulati et tecti esse debet, sed veri doloris, irae, misericordiae, aliarumq commotionum animi signa verbis, sententiis, voce, vultu ostendat Orator. Id quidem nonnullis mirabile videtur negantibus hominem in rebus ad eum nihil pertinentibus toties iratum, toties misereri, toties metuere omnig animi motu concitari posse. Verumtamen si vim sententiarum et locorum, quos agere et tractare dicendo debet Orator recte aestimaverint, reperient nihil opus esse simulatione et fallaciis, ipsa enim natura orationis ejus quae fuscipitur ad aliorum mentes vel incitandas vel reflectendas Oratorem vel mediocriter flexibilem magis quam vulgo existimatur, permovet vid. hic omnino Antonius apud Cicer. II. de Orat. c. 46, 47. Interim sunt qui modum et rationem praescribant, qua quis alienae personae et rei actor in dicendo iratus, dolere, indignari possit, neq enim motus, ajunt, in nostra esse potestate, ideoq fuadent ut Orator rerum absentium imagines. Graeci φαντασίας vocant, ita animo proponat, ut oculis eas cernere et quasi praesentes habere videatur, quae non modo praecepta est Quintil. VI. Instit. c. 2. sed etiam Longini περὶ ὕψους sect. 15 a p. m. 50. §44. Quo essi nonnihil adjuvari posse commotionem animi haud infitias iverim, praesertim in hominibus quasi cereis et in quamcunq motus speciem versatilibus; tamen hoc ipsum intimos animi recessus penetrare, ut operae pretium aut fidem facias vix crediderim. Omnia hic unice

tenet

teret et occupat naturae felicitas, cui si tormenta attuleris quicquid elicias nonnisi leve et cito transituxum erit. Uti autem nulla materies ad exardescendum facilior est, quam quae ignem, admota face, concipere solet illico: ita mens nulla ad comprehendendam affectus vim paratior esse solet, quam quae rerum et personarum argumenta omnesq; velut latebras causae peragravit. quo fit ut in ejusmodi praesertim negotiis, ubi de fide, officio, aequitate et justitia agitur ex animi sententia, non mellitis verborum globulis, ut ait Petronius, non ad ingenii ostentationem dicat, eaq; cogitatione adductus etiam cum alienissimos laudet, defendat, accuset, tamen eos ipsos alienissimos, si ipse Orator est vir probus, gerdatus bonorumq; studiosus et haberi etiam velit, existimare non possit legite hic omnino Cicer. II. de Orat. c. 46. verissimum sane est, quod optimus Rhetor Quintil. censet, pectus inquiens est, quod disertos faciat et vis mentis X. Instit. c. 7. ad quem locum legi rursus meretur eadem perquam elegans Rhetoris vestri oratio, quam modo ante laudavi. Atq; has ipsas personarum, locorum, temporum varietates cum animi veluti oculis lustraret et in affectus reciperet Cicero, mirum non erat, quare magna illa vis rerum eum inflammaret, cur adversarios toties de omni statu dejiceret, cur denig judices non ante incitarentur aut lenirentur, quam hic ipse motus ab eo tentatus esset, ut ipse confitetur in Orat. c. 35.

§ 101. Quodsi affectus concitandus erit &c. Quantumvis vero Rhetor Noster perparum antea tribuerit illi artificio animo velut cernendi imagines tamen hic paululum se revocare videtur. ostenditq; eas in nobis effingi et excitari commodius non posse nisi hominum quoquo modo concitatorum dicta et externas vultus et gestus notas diligenter animadvertendo, unde quod imitemur similibus in causis capiamus. sed veritus postea ne fic Oratoris illa vis divina virtusq; in frigus et fallendi suspicionem degeneret; maluit affectuum movendorum facultatem a natura tanquam fonte arcessere. Sane in hoc negotio caput rei est Oratorem causae suae locos omnes multa commentatione h. e. meditatione paratos et expeditos habere. quo facto simulatq; intenderit animum non in rem unam sed in plures continuas sensim paulatimq; igniculos sentiet, quibus, nisi stili mora refrigescat tota mens incalescit, adeo ut affectus non aliunde ad eam delati sed per eum quasi parti esse videantur. Neq; cum dicet de vocis sono, qualem quisq; motus animi a natura habet ei laborandum erit, sed modo inflectet, modo acuet, modo inflabit, modo remittet prout effusior vel lenior erit commotio, cujus imago et index vox esse solet. Quodsi affectum simulatio peperit nihil quoq; veri imitabitur vox.

qualia

Qualia autem sint vocis genera pro affectuum diversitate eleganter exposuit Cicero III. de Orat. c. 57 et 58. Ceterum ad affectus incitandos multum valet amplificationis quaedam forma, Graecis δεινωσις dicta et figurarum παθητικων usus de cujus utriusq disciplina jam actum est ad Part. II. Cap. 3. paragr. 55 sq. Interim legatur ipse Cicero III. de Orat. c. 53.

§ 102. Sed habet etiam hic locus &c. In ciendis vero affectibus non mediocri opus est prudentia. primum videre Orator debet postuletne causa ut adhibeantur hujusmodi dicendi faces, si enim versaretur in quaestione infinita h. e. in re meraе intelligentiae aut cognitionis sive subtili illa, sive populari tragediaq ageret in iis rebus quae non possunt commoveri, irrisione potius quam assensione dignas putaretur vid. hic Cicero II. de Orat. c. 51. tum cavendum est, ne statim ad illud orationis genus assiliat, neu cum in eam rationem semel ingressus sit, celeriter remittat et discedat. quod enim ad priorem legem attinet, sciendum est, nihil esse in natura rerum omnium nedum in ingenio humano seu intelligentiae potestate, seu appetitione quod se universum profundat et quod totum repente evolet, sed omnia quae fiunt, quaq aguntur acerrime lenioribus principiis naturam ipsam praetexuisse, ut eleganter loquitur Cicero II. de Orat. c. 78. Nam qui audiunt rationes ante et cognitionem causa desiderant, quam se actionis contentione perturbari patiuntur. Alterius legis ratio naturae veritatem imitatur. nihil enim fit subito, exemplo, sed per gradus, nec qui valde exarduit aut effuse exultavit statim a summo fervore laetaeq opinionis conturbatione in rationis gyrum redit et ad quietem repente relabitur, sed aliquandiu ira, dolor, laetitiave menti adhaesit.

§ 103. Neq tamen nimis urgendi &c. Quod etsi verum est approbaq unius cujusq hominis indoles et natura, modus tamen ea in re servandus est ne cum affectum ad summum culmen evexerimus nimis diu in eodem commoremur. Sunt enim homines uti apud Virgil. mutabile semper femina, praesertim in miseratione, cujus proinde commotio nunquam longa sed brevis esse debet, quoniam nemo aliena diu deplorat, nec enim sine causa Apollonius Rhetor dixit οὐδεν δακρυον ξηραινεσθαι δακρυων i. e. lacryma nihil citius arescere secund. Magist. Herem II. Rhetor. c. 31 et Cicer. I. de Invent. c. 56.

CAPUT IX.

De Moribus.

§ 104. Cum affectibus adeo conjuncti &c. Primum quidem oratoris officium est ut doceat, alterum ut delectet et conciliet, tertium ut moveat.

quod offi

quae officiorum series rei naturae convenit, ipsiq; Rhetori Nostro placuit supra Cap. 2. paragr. 11. adeoq; caput de moribus istud superius de affectibus antegredi debuisset. verumtamen Rhetor Noster quasi superioris suae partitionis immemor, non moribus affectiones, sed mores affectibus postposuit. Cur autem mores contueri prius nos oporteat, quam permotionum disciplina explicetur, haec mihi videtur subesse causa, quoniam mores per totam orationem fusi esse debent, motibus animi ut plurimum non nisi in epilogis et peroratione locus est, ubi proprie Orator tonitruat et fulminat. Utcunq; vero haec existimentur id tamen probabilis ratio doctrinae rhetoricae docet Graecos appellare ἤθη quos Romani mores appellabant non sani pari et apto nomine. Cum enim Graecorum ἤθη omnes mentis habitus contineat non solos mores judice Quintil. Libr. VI c. 2. qui simul docet prudentiores Graecorum interpretari per voluntatem i. e. vim et scaõnem sequi quam nomen interpretari voluisse. Quod ad rem attinet, generatim tenendum est tanto inter se necessitudinis vinculo contineri mores et affectus, ut nonnulli veterum Rhetores τὰ παθη existimaverint τοῖς ἤθεσι esse partes subjectas, mores quasi fontem affectuum esse et ex affectibus intelligi mores, neq; alia re discrepare nisi intentionis modo, illud minus hoc majus esse, ἦθος aliquid mitis, blandi, humani, jucundi et ad benivolentiam conciliandam parati affectus habere, παθος contra vehemens, incensum, incitatum quid gignere legatur hic omnino Quintil. VI Instit. c. 2. Quantumvis autem utrumq; genus ex eadem ferme natura est, eundemq; persuadendi finem habet, tamen dissimili ad vincendum ratione intelligitur. mores enim leni placido et composito velut gressu incedunt, affectus contra vehementer procurrunt et rapide feruntur, illi assensionem expetunt, hi vero affectus imperant et extorquent. praeterea in eo differunt, quod mores vel in principiis, vel in re narranda, vel inter mediam argumentationem, vel in peroratione adeoq; toto orationis corpore aequabiliter fusi esse debent, affectus vero saepissime non nisi ad tempus et paene in perorando sumuntur vid. rursus Quintil. VI. Instit. c. 2. cum eleganti observatione Gesneri. Mores autem sunt, ut jam supra indicatum erat ad paragr. 19. triplicis generis, alii primae personae h. e. ipsius Oratoris; alii secundae personae h. e. judicum, vel eorum qui audiunt; alii tertiae deniq; i. e. eorum omnium, quos sensu quodam et ratione effingit exprimitq; Orator.

§ 105. Oratoris mores sunt &c. Primum in omni oratione multum valet ad persuadendum probari mores instituta facta et vitam eorum qui agunt causas. Conciliantur autem animi eorum, qui audiunt tribus potissimum

mum Oratoris virtutibus, prudentia probitate et benivolentia, neqs plures nominavit Aristoteles, tanquam ἀρχωνθιν ἀρετην et ἐυνοιαν II. Rhetor. c. 1. Rhetor vero Noster quartam inseruit scilicet verecundiam et modestiam, quae etsi ad probitatis sensum et virtutem referri possit, tamen singulares quasdam et privas sibi habet notas. Prudentiae laus tum demum in Oratore summa et perfecta est, si qui audiunt cum admiratione quadam eum ad fidem faciendam maxime idoneum putent, fidem autem habebunt ei vulgo, si eum plus intelligere quam se arbitrantur, si eum futura praesagire, et cum res agatur in discrimen, ventum sit expedire, rem et consilium ex tempore capere posse credunt. Probitatis imago cernitur in Oratore, si nulla in eo fraudis injuriaeqs suspitio apparet, si magno in rem publicam amore ducitur, si ita justus pius est, ut tuto illi rerum publicarum privatarumq; cura mandari et committi possit. probis enim magis et celerius creditur uti in ceteris rebus omnibus, sic praecipue in arduis et dubiis vid. Aristot. I. Rhetor. c. 2. Contra quo quis versutior et callidior est, eo suspectior detracta opinione verae probitatis. Benivolentia conciliatur cum superioribus illis virtutibus tum in primis haec existimatione vitae, si facilitatis liberalitatis animi, ad rem non avidioris non aeris, non pertinacis, non litigiosi signa protulerit, si prodesse volet plurimis, si nihil nisi rectum et honestum et utile suadere cupiat, quae omnia uti per se unicuiq placent, ita eos qui audiunt natura et specie sua commovent vid. omnino Cicero II. de Offic. c. 9. quo spectat totus propemodum Liber XII. Instit. Quintil. in primis quinq priora capita.

§ 106. Atq ut maxime optabile est Te Uti vero optandum est Oratori, ut hanc virtutum de se opinionem ad causam dicendam afferat, saltem ut nihil habeat offensionis, quae benivolentiam ab ipso abalienet, quoniam vix aliter in audientium animos tanquam influere potest: ita curare debet ut teste et quasi aliud agendo suos ipse mores suaviter et cum sensu effingat. delectamur enim oratione, quae scat oratoris ipsius amabiles mores, in primis vero amor multitudinis vehementer commoveatur ipsa lenitatis, mansuetudinis morum animiq demissi fama, quae ex pudoris signe, comitate verborum, vultu placido, salibus etiam perluet. quemadmodum enim is, qui dum dicit malus, superbus, elatus videtur, fidem omnem impedit judice Quintil. Lib. VI c. 7. ita qui jocis et facetis opportune utitur, eaq ingenii venustate sive tristitiam sive invidiam causae exhilarat, plus saepe efficit quam argumentorum severitate subtilitateq, simul hominis bene morati, blandi, hilaris et urbani notas prae se fert. Ipsum vero jocandi genus non profusum non immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet, ut praecepit Cicero loco egregio I. de Offic. c. 29. atq huc pertinet totus ille locus sa-

ne quam

ne quam egregius de jocis et facetiis II. de Orat. c. 54. §. 44.

§ 107. Incidunt tamen tempora &c. In primis verecundiae virtus in oratore valde commendabilis est, nam omnis sui jactatio non modo fastidium sed etiam odium creat. ipse Cicero I. de Offic. c. 34. deforme etiam esse, inquit, de se ipso praedicare, falsa praesertim et cum irrisione audientium imitari militem gloriosum. nec enim ferendum est si falso, si temere, neq; in loco si copiose ad extremum multisq; verbis de te praedices. vel sic tamen incidere possunt tempora et causae in quibus etiam Oratori de se dicere liceat. Enimvero si falsa pariter et vera nullo discrimine de se narrare instituerit, vanus haud dubie et jactator habendus est. Sin vera dicit et in loco, moderate, sive defendendo sive refellendo illa praedicat, non peccat, sed ea potius fiducia habenda est quam περι-αυτολογια. Imo qui sua bona enuntiare tum, cum res et temporis ratio jubet, prae pudore non audet rusticitate quadam laborat pravaq; verecundia, quae Graecis δυσωπία, a Plutarcho singulari Libro conscripta Tom. II. Opp. a p. 526. atqui vero inter hunc pudorem suiq; contemtum et arrogantiam vanitatemq; media est justa sui aestimatio et fiducia, quam nequaquam reprehendendam, sed magni animi plerumq; indicem esse judicarunt viri usu rerum et hominum subacti vid. Quintil. XI. Instit. c. 1. ubi Ciceronem, qui sui ipsius praedicatione et nunc et olim male audiebat contra obtrectatores vindicat et purgat. Interim, quoniam hic est morbus hominum, ut alterius laudes, quantumvis justas molestae ferant, cavebit sibi ab his Orator, isdemq; utatur cum quadam excusationis praemunitione, ut invitus et coactus facere videatur exemplo clarissimi Cicer. pro Domo c. 35. et passim aliicubi.

§ 108. Auditorum mores paullo &c. Mores secundae personae, sive judicum sive quorumcunq; audientium longe majorem Oratoris diligentiam cautionemq; postulant. Diligenter enim curare debet Orator, ut iis ipsis opinionibus ad quas prochives sunt audientes, aut quibus adversantur ancipitem causae suae habitum vincat, ne quid dicat, quod a civium moribus judiciisq; abhorreat. Ingens autem propensionum humanarum subinde varietas est pro populorum fortunae dignitatis, vitae publicae et privatae diverso statu. aliter enim opinantur v. c. Graeci, Romani, Germani, Gallo-Franci, Batavi, quam in rem legi meretur Joan. Barclaji Icon Animorum. aliter intuitu fortunae, civitatis opinantur servitutis regiae impatientes, quam qui jugum principatus ferunt. aliter opinantur juvenes, aliter senes, aliter ratione fortunarum divites et potentes sentiunt, aliter proletarii et capite censi. ideoq; Aristoteles II. Rhetor. a c. 12–17 diligentissime persecutus est, quid cuiq; hominum generi soleat accidere, et quas res quosq; homines, quibus rebus aut hominibus vel conciliaverit vel alienaverit ipsa natura

psa natura, sed ea omnia repetere nec institutum nec stomachus meus patitur. Si quis tamen desideraverit, a quo res rationesq; sumeret, indicavi. Neq; hic philosophantium subtilitate opus est, qui essi multum saepe de hominum moribus differere soleant; tamen perparum Oratori conducunt, quoniam non in communi omnium intelligentia posita sunt vid. Cicer. 1. de Orat. c. 51. Idem argumentorum loci, ubi investigatur quid boni quaerant, quid mali petant, quid milites, quid cives togati, quid rustici homines exspectent quo quaq; res probent vel aversentur in earum quoq; personarum mores, qui oratione exprimuntur, cadunt.

§ 109. 110. Et auditorum quidem &c Audientium vero moribus accurate notatis duplex bonum consequemur. primum ne eorum opinionibus aperte obviam eamus, quod persuadendi fines perverteret. deinde ut accommodata ad eorum sensus mentesq; oratione benivolos faventesq; nobis reddamus. nam sententiarum et judiciorum similitudo per se gignit amorem. notum est illud Sallustii in Bell. Catilin. c. 20. idem velle atq; idem nolle ea demum est firma amicitia. Neq; negligi debent, quae recte philosophatus est Plutarchus in Disput. de Discrimine Adulatoris et amici p. 51 Opp. Aliquando tamen necesse est ut Oratori aliter dicendum sit atq; opinantur ii, qui audiunt, proinde duram hanc provinciam lenissimis quantum fieri poterit remediis, veri justiq; amore, pudoris scaone minuendo invidiam emolliet ut invitus et necessario contraria dixisse judicetur. Si enim ipsos, contra quos dicit, offendere vereatur, praefatione quadam officii sui necessitatem excuset, moderationis et reverentiae rationem probet, alia omnia concedat, in hoc solo vel minus subtiliter judicasse, adjecta simul cur ita sit causa, vel credulos, vel iratos, vel impulsos ab aliis fuisse. quam artem admirabiliter tenuit Cicero, eaq; variis in causis, non una tamen semper eademq; via usus est. Ita Praetorum testium fidem in dubium vocaturus, cum praevideret multos fore inter judices, qui imminutam Praetorum gloriam moleste tulerint, de ingeniorum fama ipsis nihil detraxit, sed unicam testimonii dicendi religionem sibi suspectam esse fatetur in Orat. pro Flacc. c. 2 et 7. et alicubi. Sic M. Catonis et Servii Sulpitii Murenae accusatorum auctoritas et gratia popularis Ciceroni vehementer obstitit. verum quam decenter Sulpitio cum omnes tribuisset virtutes, sententiam tamen gerendi consulatus ademit in Orat. pro Murena a c. 7. Quam praeterea molliter objurgavit Catonem cujus naturam et ingenium essi vehementer mirabatur, tamen Stoicae Sectae culpa in nonnullis rebus factum esse horridiorem queritur ibidem a c. 28. Eadem prudentia cum Ligarii studia erga Pompejum aliter atque Tubero explicuisset in Orat. pro Ligar. c. 6. sqq Caesarem placavit eodem decente 2. Agrar. a c. 1— 6. legem agrariam h. e. alimenta sua tribus applica-

xunt

runt, ut loquitur Plinius Lib. VII. Hist. Nat. c. 30. eodem suadente populus Roscio legis theatralis auctori ignovit, notatumq se diserimine sedis aequo animo tulit ut idem scripsit Plinius l. l. addiq potest Plutarchus in Cicerone p. 867. Haec aliaque Ciceronis exempla et artis rhetoricae leges pulcre illustravit Carolus Rollinus in Method. Doc. et Disc. Bonas Literas Tom. II. a p. 254. Simili cautione Dolabella videtur usus esse, cum pro concione in eos animadverteret, qui contra libertatem Romae tumultuabantur ut apparet ex Cicer. Epistolis loco a Rhetore laudato. Similiter Germanicus Claudii Drusi filius milites in castris ferociter tumultuantes omnemq monitorem gravari visos oratione sua flexit, ut magni et implacabiles eorum motus ardescerent pariter sedarentur secund. Tacit. loco a Rhetore laudato.

§ III. Duo sunt genera personarum &c. Mores seu personae sunt eorum hominum quorum mentes sensusq dicendo aut scribendo tractantur. hominum autem ratio habetur vel singularium, vel omnino qualiumcumq. Singulares sunt ejusmodi, ad quos sive laudationis reprehensionisve, sive accusationis defensionisve causa sigillatim spectat. In horum igitur moribus describendis ita versari debet Orator, primum ut ostendat, quales sint illi praecipue, justine, religiosi, patientes injuriarum an contra. et cur plura laudis quam vituperationis, plurag accusationis quam defensionis argumenta et vicissim contineant. deinde ut alterutrius generis notas ad causae suae utilitatem verisimiliter accommodet.

§ II2. Quod consequemur, &c. Quodsi vero in moribus alicujus quicquam ambigui sit, quod in utramq partem, vel in laudem defensionemve, vel in vituperationem accusationemve trahi possit, utrobiq dabit operam ut vitia in virtutes vicinas, aut virtutes in vicina vitia, quorum esse solent ut Horatius ait II. Satyr: Sat. 3. ℣ 281. cognata vocabula, commutet. Etsi enim sunt quasi quidam habitus animi sui affecti et constituti ut inter se proprio virtutis aut vitii genere distinguantur: tamen virtuti saepe finitimum est aliquid vitii, uti in vitio contra nonnihil extat, quod virtuti simile videatur. Unde accidit saepe, ut nonnulla hominum opinione vitia virtutum loco et numero habeantur, et virtutes quandoq vitiorum speciem et habitum induant. Ita: pro cunctatore segnem, et cauto timidum, affingens vicina virtutibus vitia compellabat apud Liv. XXII: 12. Eodem pacto, si accusator acri et vehementi oratione usus fuerit arguerit q reum luxuriae, eandem rem mitioribus verbis proferet defensor, ut pro luxurioso dicat objecta est paulo liberalior vita, qua moderationis lege detrahi solet, si qua rei inest invidia si v. c. asperum dicas nimis

mis severum; injustum persuasione labii pertinacem, ultra modum tenacem esse propositi. Si porro ex astuto sapientem, ex audaci et temerario fortem, ex illiberali diligentem; ex avaro parcum; e superbo magnanimum effeceris. Si porro ambitum et largitionem interpreteris liberalitatem et benignitatem, legatur hic omnino Cicero II. de Orat. c. 28. et Quintil. Lib. VIII c. 6. Interim uti valde indecorum est omne nimium eodem Quintil. magistro Lib. XI c. 1. quoniam sit facile locus foret justae conquestioni Catonis, jam pridem inquientis, nos vera rerum vocabula amisimus apud Sallust. in Catilin. c. 52. ita viri boni est hac lege verba acerbiora in leniora commutandi temperanter, neq; nisi in iis causis uti cum vitium aut crimen alterius humanitatis esse solcat, miserationisq; crimen alterius non exasperare dictis, sed quantum per honestatem fieri possit extenuare. aliis in causis omnino arbitror hoc artificium esse pravi causarum patroni, ne dicam rabulae.

§ 113. Alterum genus est, qd latius patens &c Praeterea cum usu veniat, ut plurium aliorum hominum, de quibus proprie non agit Orator, sermones moresq; describendi sint. Curabit sane primum, ut animi formae veris depictae coloribus ob oculos ponantur. Deinde ut species illae ad exemplaris veritatem quam proxime accedant. Haec autem morum et vitae imitatio incredibiliter suavem et jucundam efficit orationem, quae propterea Graecis ἠθικὴ tanquam Hermogeni II. de Ideis c. 2. Latinis Morata, ad exemplum moratae fabulae apud Horat. in Art. Poët v. 319. vocatur. quo spectat notatio sive character, cum alicujus natura certis describitur signis, item imago h. e. oratio demonstrans corporum similitudinem apud Cicer. I. de Invent. c. 30. nec non ἠθοποιία cum dicta alicujus et mores effingimus.

§ 114. Eam facultatem quomodo &c Qua autem via et ratione aliorum mores imitando exprimi possint, intelligitur ex iis, quae supra de affectibus oratione declarandis praeceperat Rhetor paragr. 101. Summa virtus in eo est, ut fluere omnia ex natura rerum hominumq; videantur, quo mores dicentis ex ipsa oratione cognoscantur. id autem fiet respiciendo rursus ad discrimen aetatis, sexus, generis, status rei publicae, fortunarum, pro quibus causis omnibus animorum motus incredibiliter variant. atq; de his quidem moribus generatim philosophatus est Aristoteles, ut antea indicavi II. Rhetor. a c. 12. vitiorum quoq; imagines, tanquam in tabula depinxit Theophrastus in aureo ἠθικῶν χαρακτήρων libello, cujus utinam non bona pars deperisset. Item veterum et recentiorum Oratorum Poëtarumq; ut quisq; fuit doctissimus lectio prodest, tanquam Terentii in Eunucho, Horatii in Satyris veluti I. Satyr. Sat. 9. ubi elegans impudentis et inepti parasiti imago, eodem pacto Virgilii IV. Aeneid

Aeneid. in primis a v. 305. sqq. Ovidii in Epist. Heroid. tandem e recentioribus Joan. Barclavius in Icone Animor. a c. 10. omne morum genus haud infeliciter descripsit.

§ 115. Sed cum ita exprimimus &c. Cum vero personarum mores exprimimus aut universa quaedam genera tractamus, veluti cum quaeritur species ostentatoris pecuniosi apud Magist. Herenn. IV. Rhetor. c. 50. irati hominis apud Senec. I. de Irâ c. 1. seditiosi apud Sallust. in Catilin. c. 5. mollis et delicati apud Senec. de Brevit. vitae c. 12. Aut singularis cujusdam hominis proprias notas, quarum etiam vel generatim omnes, vel nonnullae duntaxat describi possunt, prout dicendi opportunitas jubebit. Certi cujusdam hominis mores in universum omnes non raro depingunt Annalium Scriptores, quod fit eo consilio et fine, ut fit eventuum causae explicentur omnes, vel casus et temeritatis, vel sapientiae, quoniam ad rerum gestarum cognitionem in primis valet hominum illustrium vita et natura. proinde quicunq Scriptores rerum copia et sententiarum varietate se exercerunt, addiderunt historiae majorem virtutis sensum, hoc paene rhetorico more frequenter usi sunt, tanquam Thucydides, qui Themistoclis Libr. I. c. 138, Periclis Libr. II. c. 65. Alcibiadis Libr. VI c. 15. item Niciae Libr. VII c. 86. ingenium accurate et feliciter expressit. Ejus autem Thucydidis exemplo sive ratione impulsi, reliqui inter Graecos et Romanos rerum auctores hac imaginum pingendarum arte opus suum perpolire studuerunt. Apud Graecos emicuerunt duo praestantissimi ingenii Scriptores Xenophon et longe serius Polybius. Uti enim Xenophon tanquam homo Socraticus omnibus sermonis luminibus annales suos tanquam gemmis distinxerat: sic crebra de hominum vita et moribus disputatione suaviores reddidit. testimonio sint morum notationes Cyri primi Persarum regis in Cyripaed. Lib. I. p. 3. Cyri minoris I. de Expedit. Cyri p. m. 266. edit. Leunclav. Agesilai regis Spartani in Orat. de Agesilao p. m. 664 sqq. Et Socratis in Memorab. Socrat. Libr. I. p. 711 Opp. Quantus etiam ingeniorum et morum existimator fuerit Polybius apparet ex universo Excerptorum ejus Opusculo de Virtutibus et vitiis a p. m. 1363 edit. Fronov. Apud Latinos ceteris elegantiores sunt Sallustius et Livius, quorum prior Catilinam in Bell. Catilin. c. 5. Caesarem et Catonem ibidem c. 54 item Marium in Bell. Jugurth. c. 63. alter Alexandrum Magnum in illo quantivis pretii loco Libr. IX c. 18. Annibalem Libr. XXVIII: 12. Scipionem Africanum Majorem Libr. XXVI: 19. Marcum Porcium Catonem Libr. XXXIV: 18. et alios a vita et moribus ita descripsit ut nihil eo in

genere

genere subtilius nihil limatius dici possit. abundant quidem Vellejus Paterculus et Tacitus ejusmodi morum notis, sed quemadmodum uterq; arguitione est, quam historiae leges postulant, prior etiam dubiae fidei: sic alter ad simplicitatem laticemq; Livii ubertatem non accedit, ideoq; illi inprimis e Graecis et Latinis legendi et ad imitationem sunt proponendi.

§ 116. In hoc igitur genere &c. Nemo tamen hanc beatissimam scribendi facultatem assequetur, nisi simul dicta et facta hominum ad sua quaq; genera perspexerit, nisi multa auribus acceperit, multa viderit tanquam alter Ulysses, qui multorum providus urbes et mores hominum inspexerat ut loquitur Horat. 1. Epist. Epist. 2. v. 19 et 20. multa animo et cogitatione, multa etiam legendo percurrerit, neq; ea ut aliena primoribus labris libaverit sed ut sua possederit. Ceterum in oratione insit quaedam verborum et sententiarum conformatio brevitate, lenitate, dilectu commendabilis et sine ullis salebris tanquam sedatus amnis fluens.

CAPUT X.

De Modo argumenta tractandi per argument.

§ 117. Quoniam fontes argumentorum &c. Etsi primaria Oratoris virtus in argumentis et in rebus ipsis per se comprobandis ponitur, quam tota superior de inventionis materia et fontibus disputatio reget: Nequaquam tamen satis est, quid dicas reperire, nisi id inventum tractare possis. minus enim artis et laboris est, quid quoq; loco dicas invenire, hoc vero longe maximum videre, quorum modo, per quem fane ascendit in tantam honorem eloquentia. id autem fit duplici artis genere. primum cum rationem ita concludimus ut causae nostrae verisimilitudo intelligatur. deinde ut eadem ipsa latius fusa impleat aures, irrepat in sensus mentisq; velut oculis quam planissime cerni possit. illud paratur nervosa quasi argumentatione. hoc tenebimus luminosa quadam exornatione, ideoq; per se apparet de duobus his modis sigillatim agendum esse. primum de ipsa argumentationis, tum de amplificationis et exornationis ratione. Quem vero usum praestet in dicendo argumentandi scientia locus de confirmatione infra docebit.

§ 118. Argumentatio est ratio quaedam &c. Argumentatio videtur esse inventum ex aliquo genere rem aliquam aut verisimiliter ostendens aut necessario demonstrans. vel est secundum Quintil. Lib. V. c. 10. ratio probationem praestans qua colligitur aliud per aliud, et qua quod est dubium, per id quod dubium non est, confirmat. Ejus autem vim, partitionem et genera ita descripserunt veteres, ut quid in unaquaq; re seu personis hominum seu negotiis attributa

tributa sequi et confirmare nos oporteat obscurum esse nullo modo possit vid. Cicero l. a Rhet. laud. l. de Invent. a c. 24—30. et in Topicis a cap. 2. item Quintil. l. l. Verum uti illam subtilitatem facile pati possumus: ita simplicius instituenti non est necesse per tam minutas rerum particulas doctrinae rationem concidere nec est ferme quisquam modo non plane hebes et ab omni usu cogitandi aut optimorum Librorum lectione remotus, quin sciat in personis hominum argumenta sumi vel a populo, cujus quis civis est, vel ab aetate, conditione, fortuna, animi natura, studiis et similibus, contra rerum vias persecuturo quaerendum esse de causis, rebus effectis, rebus adhuc futuris. Legi hic omnino debent, quae de praeceptis inveniendorum argumentorum opportune monuit Quintilian. Libr. V c. 10.

§ 119. Est etiam alia ratio &c Praeter universam hanc reperiendorum argumentorum disciplinam alia adhuc formula est, qua fit ut vulgus Rhetorum hodie locos topicos nominet invito Latinitatis sensu, nam topicen quidem Cicero vocat inveniendi artem in Topic. c. 2. locos vero topicos nemo dixit. Ex his autem locis, in quibus argumenta inclusa sunt, alii in definitione alii in notatione, alii in genere et formis, alii in toto et partibus ejus, alii in his rebus quae quodammodo affectae sunt ad id, de quo quaeritur tanquam proprio, differentia, contrariis, antegressionibus et consecutionibus, causis, effectis, comparatione majorum pariumve aut minorum haerent, qui omnes etsi a Cicerone in Rhetoricis et nominatim in Topicis a cap. 3—18 et Quintil. Lib. III. c. 6. partim obiter indicati, partim ex instituto, tamen non sedes et domicilia argumentorum Oratoriorum tantum esse censebantur, sed latius patebant et ad omnem disserendi facultatem usum olim referri solebant. Recte sane Cicero in Topic. c. 2. Omnis, inquit, ratio diligens disserendi duas habet partes, unam inveniendi alterum judicandi. Omnes vero hic topicos fontes perscrutari post diligentiam Ciceronis aliorum Rhetorum supervacaneae operae esse censeo. Non quod eos prorsus vanos et inutiles cognitu existimem, ut praeter rem olim visum est Fundlingio in Observat. Select. Halens. Tom. I. Observat. 17. de corrupta per locos dialecticos eloquentia, sed indicavi fontes, unde cuicunq argumentorum silva parabilis foret. Etsi enim ipsa topica argumenta non suppeditat: tamen si nihil dicam eosdem adjuvare posse mentiar. habet enim quaedam quasi ad commorendum Oratorem quo quidq referat, et quo intuens ab his dicendi copiam sumat. Praeterea tenendum est, non promiscue omnes corradi nec imprudenter hac copia uti, sed expendi et seligi oportere, qui praesenti negotio et causae sint accommodatissimi.

§ 120. Ac plerumq non tam ratio &c Plerumq tamen hae argumentorum

notae

notae in cujusq; mente et cogitatione defixae sunt, nec ullo labore etiam mediocre ingenium reperire potest. Verum quomodo hi demonstrari oratoria facultate debeant, hoc demum opus hic labor est judice Ciceron locis a Rhetore nostro laudatis. Argumentatio autem oratoria duplicis ferme est generis. altera ἐνθυμηματικὴ, altera παραδειγματικὴ vel ut loquitur Theon in Progymnasm. c. 1. aut est λογος ἀποδεικτικος aut ἀυξητικος. prior probandi ratio est certior, altera est planior. ad priorem jure referas ratiocinationem sive ἐπιχείρημα et ἐνθύμημα. ad alteram pertinet exemplum et inductio.

§ 121 Ratiocinatio sive epichirema &c Prima argumentationis necessariae forma est syllogismus h. e. legitima quaedam sententiae comprehensio per ea quae certa sunt fidem dubiis afferens, sive definiente Cicerone 1. de Invent. c. 34. ratiocinatio est oratio ex ipsa re probabile aliquid efficiens, quod expositum et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet. Ea vero tribus absolvitur partibus propositione, assumtione et rationis conclusione, sive ut dialecticorum vulgus loquitur propositione majore, minore et conclusione vid. Quintil. Lib. v: 14. Propositio Graecis dicitur πρότασις per quam locus communis breviter exponitur, ex quo vis omnis oportet ratiocinationis emanet fonte. Assumtio Graecis dicitur πρόληψις argumenti Ciceronis ii. de Divinat. c. 53. ubi egregie descripsit assumtionem per quam id quod ex propositione ad ostendendum pertinet assumitur. Demum argumenti conclusio sive complexio, item connexio singulari Quintiliani vocabulo Lib. v: 14. quae est ejusmodi in qua cum primum posueris alterum assumseris cogitur id quod annexum est secundum Cicer. 1. de Invent. c. 37. Exemplum quod Rhetor noster attulit sumtum est ex eodem Cicer. 1. de Invent. c. 34 et Quintiliano Lib. v: 14.

§ 122. Differunt a Syllogismis &c Esi vero nonnullis veterum Rhetoribus Syllogismus idem est, qui ἐπιχείρημα secundum Quintil. v. Instit. c. 10 unde argumentationes generatim ἐπιχειρήματα dicuntur Magistro Herenn. ii. Rhetor. c. 2. tamen hoc ab illo discrepat primum ordine partium qui in illo constans et necessarius, in hoc locari propositiones possunt prout commodum oratori visum fuerit. tum materia inventionis, nam in illo vera veris colliguntur, hujus frequenter duntaxat in rebus credibilibus est usus. tandem formarum genere quarum plures habet epichirema, Syllogismus contra pauciores et fixas, legatur omnino Quintil. Lib. v. c. 14 ex quo, tanquam fonte suos duxit rivulos Rhetor noster.

§ 123 Enthymema est argumentum &c Enthymema, quod Latini commentum aut commentationem interpretarentur, Graeco tamen vocabulo libentius usi teste Quintil. Lib. v: 10. est rationis quaedam conclusio Syllogismi dialectici aemula hinc Aristoteli ἐνθυμημα dicitur συλλογισμος φαινόμενος 1. Rhetor. c. 2. et Quintiliano imperfectus Syllogismus Lib. v. c. 14. Differt

autem

autem ἐνθυμήμα a Syllogismo duobus modis: primum natura sua. in Syllogismis enim certa et necessaria, in enthymematibus verisimilis ratio dominatur, de quo discrimine plura legi possunt apud Aristot. in egregia ejus Rhetor. I. Rhetor. c. 22. v. c. praestat nemini imperare quam alicui servire, sine illo enim vivere honeste licet, cum hoc vivendi nulla conditio est apud Quintil. IX Instit. c. 3. deinde inventione cum dialecticus utig; propositionem assumtionem et rationis conclusionem habeat et per omnes partes efficiat quod proposuit, enthymema tantum intenta intelligi contentum sit ut loquitur Quintil. Lib. V. 14. h. e. in oratorio Syllogismo nox propositio. nox assumtio nunc ipsa complexio quanquam rarius haec omitti potest vid. omnino Cicero I. de Invent. c. 40. Habet autem enthymema duas formas quarum altera est ex consequentibus, altera e contrariis sive pugnantibus secundum Quintilian Lib. V c. 14. Ex consequentibus est hujusmodi enthymema quod habet propositionem conjunctam ei statim probationem secund. Aristot. II. Rhetor. c. 24. Ex pugnantibus vero sive contrariis est cum proposito dissimili vel contrario ratio subjungitur interprete eodem Fabio l. l. qui clarissimus est V. Instit. c. 14. Exemplum quod Rhetor noster enthymemati e consequentibus adscripsit sumtum est ex Ciceronis oratione pro M. Marcell. c. 4. cui addi possunt alia ex Quintil. Lib. V c. 10. Alterum exemplum quod enthymemati e contrariis respondet itidem debetur Ciceroni pro Milone c. 16. quo etiam usus est Quintilianus loco semel iterumq; laudato V: 14. Ceterum a nimio enthymematum usu abstinendum esse jure monuit Aristoteles III. Rhetor. c. 17. ubi elegantem addit rationem ἐστὶ γὰρ, inquiens, καὶ τὸ πόσον ὅρος est enim et quantitatis terminus.

§ 124. Exemplum est rei gestae &c. Ad argumentationem populärem spectant exempla et similitudines. exemplum Graecis παράδειγμα secund. Aristot. II. Rhetor. c. 20. est alicujus facti aut dicti praeteriti cum certi auctoris nomine propositio definiente Magistr. Herenn. IV. Rhetor. c. 49. sive est rei gestae, aut ut gestae utilis ad persuadendum id quod intenderis commemoratio secundum Rhetorem Nostrum qui suam definitionem ad exemplar Quintiliani Lib. V: 11 effinxit. Etsi vero Syllogismi et enthymemata in rationibus rei alicujus reddendis plus possunt pollentive quam exempla si consilium contingat semper doctorum et sapientum: tamen cum saepe apud imperitos dicenda sit sententia secundum communes magis opiniones loquendum erit. Exempla autem in omni genere causarum potentissima esse solent judicii Quintil. Libr. II c. 4. proinde exemplis saepius quam rationis conclusionibus usi sunt Isocrates, Demosthenes, Cicero et alii. De hac Ciceronis consuetudine vel totus testatur locus II. de Orat. c. 25. et pro Milon. c. 3. e cujus verbis nata

est

est exempli apud Rhetorem Noſtrum formula. Ut enim oſtenderet Cicero nequam cives impune interfici poſſe, inductione uſus eſt illuſtrium exemplorum Horatii Servilii, Ahalae, Publii Naſicae, Lucii Opimii, Caji Marii aliorum a noxiis poenam capitis fumentium. Alia Ciceronis loca ſubminiſtrabit Quintil. V. Inſtit. c. ii. Neq; tamen poſtulatur ut exemplum ſit rei vere geſtae, ſuffitit non raro fabularis hiſtoriae et fictum eſſe. Exempli autem ficti duplex eſt genus. aut fabula Graecis λογος vel μυθος ſecundum Ariſtot. II. Rhetor. c. 20. aut ſimilitudo Graecis παραβολη ubi ſcilicet oratio ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile traduxit vid. Quintil. Lib. V. c. ii. qui tamen non ſatis ſibi conſtare videtur, mox ſimile idem eſſe inquiens atq; exemplum, mox proximas exemplo vices habere ſimilitudinem ſcribens. Quicquid ejus rei ſit, hujus tamen ipſius ſimilitudinis duplicem rurſus formam ſumunt Rhetores antiqui. alteram collationem. alteram inductionem vocantes. per collationem intelligunt ejusmodi ſimilitudinis genus cum una res uni, par pari comparatur, ſive orationem quae rem cum re ex ſimilitudine confert vid. Cicero in Topic. c. 10. tale eſt, quod alicubi ſe dixiſſe ait Rhetor Noſter, ſcilicet in Oratione Profeſſ. Rhetor. ad eundae cauſa recitata, quae extat in Opuſc. ejus Orat. p. 14. Antiquorum, nominatim Ciceronis aliquot exempla dabit Quintil. Lib. VIII c. 3.

§ 128. Ab exemplo, quod peculiari &c. Inductionem vero, Graece επαγωγην vocabulo Ariſtotelis 1. Rhetor. c. 2. vel παραγωγην teſte Cicer. in Topic. c. 10. appellant hanc ſimilitudinum complexionem, qua ex pluribus collationibus perventum eo, quo volumus h. e. ejuſmodi orationem vocant, quae rebus non dubiis captat aſſenſum ejus quicum inſtituta eſt vid. omnino Cicero. 1. de Invent. c. 31. Differt autem ab inductione dialectica et exemplum. Dialectica enim ex partibus totum, ex ſingulis formas et genera conficit. Exemplum vero nihil aliud eſt niſi inductio dialecticae aemula ſive rhetorica, ubi pars ad partem, ſimile ad ſimile confertur, vid. rurſus Ariſtot. 1. Rhetor. c. 2. Contra quae propria dicitur oratoria inductio hanc habet vim, ut cum plura minime dubia ſumta fuerint res quaedam anceps et dubia propter ſimilitudinem eorum, quibus nos aſſentiri oportebat neceſſario approbetur. Intuendum vero totum ſimile ſit an ex parte. Deinde cavendum ne id quod ſimilitudinis gratia adſciſcimus aut obſcurum aut ignotum ſit praecipiente Quintil. VIII: 3. quod praeceptionis genus aſſecutus eſt Rhetor Noſter in Orat. antea laud. cum ex multis ſimilibus id concedi ſibi poſtularet nullius doctrinae artiſq; diſciplinam ſine orationis munditie et elegantia probabiliter explicari poſſe. Rhetor Noſter hoc loco addidit aliud exemplum ſ: non omnino optimae latinitatis ſ Socratica inter-rogandi ratione effictum, quod totum ex Quintil. fonte Lib. V: ii par. 4. S.

manavit

manavit. Ceterum legi hic omnino debet P. I. Vossius Lib. III. Instit. Orat. c. 5. sect. 6. Quantum sane in his argumentationum generibus venustatis et gratiae insit ex multis veterum scriptis etiam his ubi doctrinae subtilitas regnat intelligitur, tanquam cum Quintil. Rhetoricen utilitatem commendat vel potius de arte oratoria male opinantes erroris convicit II. Instit. c. 16. item cum eorum retudit calumniam, qui existimabant artem rhetoricam falsis assentiri opinionibus Lib. II. c. 17. aut cum quaeritur natura et ingenium ad eloquentiam plus conferat an omnis doctrina Lib. II c. 19. quot ille exemplis et similitudinibus ad fidem conciliandam idoneis orationem non ornat, ut ex eo, quod dubium non est expediret illud quod dubium erat?

§ 126. Harum autem argumentationum &c. Ac fons quidem argumentationum omnium sic apertus est. sed earum paulum dissimilis in utendo via et ratio. Epichiremati enim quaedam rei quaestioniss generatim sumtae ἀποδείξις inest quod si dilatetur exorneturq verbis non potest non aliquid jucundi, novi et inexspectati afferre. In enthymemate contra exemplig forma quae collatio et inductio appellatur, sola regnat amplificatio ad exprimendas rerum imagines compositas atq accommodata.

CAPUT XI.

De Argum. Exornat. & Amplificat.

§ 127. Essi argumentationes &c. Quantumvis vero omnis argumentatio fidem sua natura exторqueat: tamen in Oratore parum momenti habet si subtilis et ad exilem macilentumq Dialecticorum morem efficta verborum cavillatrix est. Philosophus enim et Dialecticus id duntaxat, quod Monachi hodierni essentiale vocant i. e. necessarium, Orator contra ideas et sententias quasdam accessorias, ita etiam loqui solent, sive comites admittant nam firmiora erunt ipsa et plus habebunt decoris si non nuda sed carne cuti et sanguine animata ossa ostenderit vid. Quintil. V: 12. unde oritur artificiosa illa argumentorum expolitio, quae ita tractari debet, primum ut puncta argumentorum occultemus, ne quis ea numerare possit secundum Cicer. II. de Orat. c. 41. deinde ut oratione varientur, ne aut cognoscat artem qui audiet, aut defatigetur similitudinis fastidio, nam omnibus in rebus perpetua similitudo est satietatis mater ut eleganter loquitur Cicero I. de Invent. c. 41.

§ 128. Etenim, primum, in omnibus rebus &c. Ratio autem cur exornatione et amplificatione opus sit triplex reddi potest pro triplici Oratoris fine. primum enim docere debet, tum conciliare, tandem movere. quomodo autem docebit accurate et cum fructu, nisi qui audiunt omnia cogitando persequi et tacito consensu approbare possint. raro enim dicitur coram doctis hominibus duntaxat, sed plerumq semidoctis et imperitis, ad quorum vim ingenii intelligentiamq nisi se accommodet

Orator

Orator magis nocebit causae suae quam proderit. proinde lentius progrediatur in eo, tamdiu haereat et commoretur, donec audientium animos, bene intellectis, quae sunt firmissima rei argumentis, sive aliquo uno sive pluribus, a contraria opinione avocaverit et ad suam traduxerit. Non autem omnibus, quae quis invenit, argumentis onerandi et obruendi sunt, qui audiunt, quia iste cumulus et taedium affert et fidem detrahit judice Quintil. Lib. V: 12. Atq in hac prudenti commoratione situs est magnitudinis et amplificationis locus, de quo supra, addatur hic et elegatur Cicero in Orat. c. 40. ita elegantissimus Cicero in Milon. Orat. quantas profectionis Milonianae moras et lentum ejus ordinem duxit, hanc ipsam commorationem admirante Quintiliano Lib. IV: 2.

§ 129. Deinde multo facilius &c. Tum longe facilius intelliguntur, quae sensibus et opinionibus audientium respondent. Ideoq in id sedulo incumbere debet Orator, ut iis locis, quibus conciliantur animi, tanquam salibus argumenta condiat, ut causae molestiam in hilaritatem et jocum convertat, ut vitae naturarumq imitationem in auxilium atq ornamentum argumentorum comparet, nexusq illis, quibus causa continetur adjiciat superinducti corporis speciem ut verissime loquitur Quintilian. Libr. V: 8.

§ 130. Denique quoniam assensus &c. Denique cum assensio atq approbatio quam Graeci συγκατάθεσιν vocant saepissime excitetur vel leni vel vehementi animi permotione, ad eam quoq argumentationis partem quae maxime animos hominum premit se conferat Orator necesse est. tametsi enim sint nonnulla ad docendum conciliandumve quae volumus apta: tamen erunt infirma nisi majore quodam orationis spiritu impleantur, quae rursus est utilissima praeceptio Quintil. Lib. V: 13.

§ 131. Atq haec omnia efficiuntur &c. Atq haec quidem omnia effici non possunt nisi exornatione et amplificatione, eamq dicendi facultatem veteres Rhetores perquam elegantibus formulis loquendi expresserunt, vel oratoriis lacertis viribusque torquendo exemplo Cicer. I. de Orat. c. 52 vel adjuvando apud Quintil. Libr. V: 13. quae loca utiliter illustravit Carolus Rollinus in Method. Docendi et Discendi Bonas Literas. Tom. II p. 26. sqq.

§ 132. Exornatio igitur primum &c. Primum quidem qualis sit exornatio, quibus in argumentis spectetur et quomodo insitui debeat ostendendum est. Exornatio autem est quaedam argumentationis expolitio in eodem loco aliquandiu manens eandemq rem varietate sententiarum distinguens, sive ut loquitur Mag. Herenn. II. Rhetor. c. 18. exornatio est, qua utimur rei honestandae et collocupletandae causa confirmata argumentatione. Eam vero tametsi vetus loquendi consuetudo cum amplificatione misceat argumento ipsius Ciceronis II. de Orat. c. 72. id amplectar, inquiens, exornem, exaggerem, ut totum bono illo ornando et augendo dissimulatum obruatur; neq eam distinxerit Vossius in locis de Amplificat. Lib. III. Cap. 5

fees. 7.

sect. 7. tamen recte ab amplificatione praecipiendo secrevit Rhetor Noster. discrepant enim argumentandi modo et intentione. altera illa, scilicet exornatio lenitate, suavitate, copia commendabilis assumitur doctrinae et perspicuitatis causa. altera, videlicet amplificatio, vi, cumulo, granditate incedit instigationisq; audientium gratia adhibetur. conferatur ad h. l. Cicero in Orat. Partit. c. 8.

§ 133. In Epichiremate &c Primum ad explicandam epichirematis virtutem vehementer accommodata est exornationis quaedam festivitas, eaq; fit copiosa approbatione vel propositionis vel assumtionis vel utriusq;. unde intelligi potest ratio cur veterum nonnulli amplissimam et absolutissimam argumentationem quinquepartitam, mediocrem, quadripartitam, brevissimam. tripartitam esse judicaverint. Scilicet cum quinquepartitam sumerent h. e. cum propositionem et assumtionem sigillatim approbarent, distribuerunt eam in propositionem propositionis, approbationem, assumtionem, assumtionis confirmationem et tandem complexionem videatur Cicero I. de Invent. c. 34 et 37. quadripartitam esse dixerunt, si aut proponerent aut assumerent sine approbatione secundum Cicer. I. de Invent. c. 39. tandem tripartitam hanc voluerunt esse, si neq; a propositione neq; ab assumtione earum approbationes separari oportere, sed propositionem et approbationem item assumtionem et assumtionis approbationem unam partem videri existimarent, quorum tamen judicium et sententiam refellit Cicero I. de Invent. c. 35, 36.

§ 134. In universum quidem &c Ut autem sive alterutra propositio vel assumtio sive ambae recte exornentur, quoniam non semper omnibus perspicuam continent veritatem, elaborandum est primum ut quod summatim in propositione expositum vel in assumtione assumtum est, rationibus i. e. aetiologia a Rhetoribus vulgo, etiam a Vossio Part. II. Lib. V. c. 9. nullo tamen jure in schematibus et figuris laudata. firmatum dilucidius et apertius fiat, eamq; locupletandae argumentationis vim Longinus περι τȣ̃ ὕψȣς sect. XI. vocat πραγμάτων ἢ παρασκευῶν ἐπίῤῥωσιν. deinde ut a propriis personis et temporibus si possit avocetur et ad universi generis orationem traducatur controversia h. e. ut Rhetores loquuntur ab hypothesi ad thesin sive locum communem τοπηγορίαν vocat Longinus l. l. alii κοινον τοπον digressio fiat, latius enim de genere quam de forma et singulis disceptare licet, et in universo quod probatum est, id in forma et singulis probetur necesse est vid. Cicero in Orat. c. 14. Ornatissimas saltem eas esse orationes judicat Cicero III. de Orat. c. 30. quae latissime vagantur et a privata et singulari controversia se ad universi generis vim explicandam conferunt, ut ii qui audiant natura et genere et universa re cognita de singulis statuere possint. Etsi vero necessaria et apta interdum digressio est quam Graeci παρεκβασιν vocant Rhetoresq; vulgo olim in figuris sententiae,

sed nullo

sed nullo jure collocant, maxime jucundam et ornatam effiit orationem, de qua Quintil. Lib. IV c. 3. tamen cavendum est, ne ea digressio sit nimis longa et juvenili redundantia multiplex. Ita suam digressionem de supplicio parricidarum in Orat. pro Rosc. Amer. a c. 24 sqq. quam juvenis habuit, ipse Cicero non valde probavit, cum eloquentia ejus canesceret haberetq; suam quandam maturitatem et quasi senectutem ut ipse confitetur in Bruto c. 2. Ejusmodi vero loci communes in causis suis finitis frequenter tractavit Cicero, nunquam tamen negq; quisquam oratorum locum quendam communem sive ut loquuntur hodie thema quoddam princeps orationis argumentum esse jussit.

§ 135. Thesin et locum communem &c Veteres quidem Rhetores tanquam Cicero loco a Rhetore laudato, Quintilianus Libr. II: 4. Aphthonius in Progymnas. p. m. 80. item Theon in Progymnasm. c. 12 discrimen faciunt inter thesin et locum communem. per thesin intelligentes universi generis ancipitem consultationem sine certarum personarum interpositione, quales sunt; petendine magistratus? expetendane sit eloquentia? aliaeq; similes a Quintil. Lib. II. c. 4. et Lib. III c. 5. commemoratae. eq infinitarum quaestionum genere omnis hodie ut seculi mos est orandi virtus aestimatur. In loco vero communi probabilem quandam sententiam ex utraq; parte rationem amplificationemq; de aequo aut iniquo, de honesto aut turpi, de virtute, officio, dignitate similibusq; rebus ponunt; nonnulli quoq; thesin loci communis formam esse judicarunt veluti Cicero II. de Invent. c. 15. sed quoniam ambo non de re certa et definita, sed de universa tractari solent, nec ad actionem proprie, sed ad cognoscendi vim intelligentiamq; referri debent, eam vel necessitudinis vel differentiae formam in medio relinquendam esse judico. Id sane constat, nihil ad cumulatam argumentationis exornationem accommodatius esse quam ejusmodi digressionem ad locum communem.

§ 136. Hujus generis cum alia exempla &c In eo autem digressionis genere admirabilis fuit is, qui arcem eloquentiae tenuit Cicero, ut apparet cum ex plurimis ejus orationibus tum ex Rosciana et Manliana. In illa epichirema tale est: si in minimis noxiis et in levioribus peccatis, quae crebra et quotidiana sunt, maxime et primum quaeritur, quae causa malefícii fuerit, sequitur ut longe graviora et atrocia scelera non temere credantur, nisi multa et manifesta extent facinoris vestigia pro Rosc. Amer. c. 22. In parricidio autem cujus arguebatur Roscius tanta erat magnitudo malefícii, ut nisi paene manifestum proferatur credibile non sit. In re igitur tam scelesta, tam atroci, tam nefaria causam omnino verisimilem quaeri oportebit. ibid. c. 24. propositionem quidem exornatione, qualem hic volumus indotatam dimisit, sed argumentatione

mentatione utitur a minori ad majus, adversarium interrogationibus maximè vexat, assumtionem vero auget loco communi de immanitate criminis et suppli-cio singulari quod in impiis excogitarunt veteres c. 24, 25. Ac complexioni tandem fidem facit idonearum in Roscio causarum institutione c. 27. Legis Manilliae suasio instituitur hujusmodi argumentatione: In quocunq imperatore divina est bellandi et incredibilis virtus, aliaeq sunt artes eximiae, is maxime ad bellum conficiendum mittendus est. Sunt autem omnia summa in Pompejo. proinde illi administrando praeficiendus est. propositionem illustrat loco communi de quatuor praecipuis summi imperatoris virtutibus scientia rei militaris, virtute, auctoritate et felicitate pro Leg. Manil. a c. 10–16. Cui admisset statim assumtionis approbationem a rerum egregiarum, quas antea Pompejus gesserat exemplis petitam, tandem rationem concludit, unum Pompejum ad commune omnium gentium bellum, quale erat tum Mithridaticum Imperatorem jure depositi c. 16, 17. Aliud non minus illustre exemplum extat in Orat. pro Archia Poët. ubi ab Archiae eruditione digreditur ad locum communem de praestantia literarum et laude poëtices c. 7. 8.

§ 137. Tractatur autem thesis &c Apparatior autem theseos et loci communis expolitio fit rationibus variis, quae vel ex rei natura, vel foris assumuntur. Ex iis, quae inhaerent in rei natura universam vim definitione et partitione explices, causas atq ea, quae ex causis oriuntur investiges genera, formas generibus subjectas, similitudines et dissimilitudines, contraria, consequentia quasi praecurrentia et conjuncta, majora, minora, paria quaeres. In extrinsecus assumtis exempla ex aliorum factis, dictis aut eventis, item fictas saepe narrationes ponas, conferatur hic Vossius Part. 1. Lib. II c. 18. sect. 5. Quibus argumentis in mente et cogitatione defixis, nihil erit quod Oratorem effugere possit. Unde sua sponte intelligitur, tractari haec ornate, graviter et apte vix posse, nisi ab iis, qui longa exercitatione non mediocrem sibi verborum et sententiarum copiam comparaverint. Atq haec est ratio cur veteres et Rhetores et philosophi nominatim Aristoteles et Theophrastus teste Strabone Lib. XIII Geograph. p. 907. matura adolescentulos docuerint θεσεις λεγειν i. e. locos communes summo artificio et ubertate perpolire vid. Casaub. vir ille magnus ad Athenaeum in Animadv. Lib. IV c. 2. Item cur ipsi principes interdum oratores, scriptores et philosophi hoc exercitationis genere delectati fuerint, de se et paradoxis suis videri debet Cicero in Praefatione Paradoxorum s: quae nihil aliud sunt quam theses) Quot praeterea theses et locos communes, Seneca, Quintilianus alii non apposuerunt operibus suis? velati in Quintil. elegans et lectu digna est thesis pro Scholis publicis I. Inst. c. 2. quod exemplum tirones eloquentiae imitari debent, haec enim incunabula

quasi

quasi eloquentiae et nutrimenta, quibus deinceps si ad rem veniendum sit, Oratoris ingenium ali et roborari solet. Interim in ipsa oratione locorum communium sit exornatio brevis, cavendumq ne aut nimis longae sint theses aut remotae crebraeq nimis. Si enim raro has inseremus exornationes et in tota causa varie dispergemus, orationem justis luminibus illustrabimus. Locum enim habet hic quoq quod in alia causa dixit Quintil. Lib. IX: 4. manifestam affectationem similitudinemq taedium et satietatem creare, et quo quid sit dulcius eo magis palatum offendit. Distinguitur autem oratio aut illustratur maxime raro inducendis locis communibus ut recte ait Cicero II. de Invent. c. 15.

§ 138. Si loco communi &c Quodsi locum communem aut thesin integra Oratio refugit, utemur saltem una alterave ejus parte, inprimis definitione, uti Cicero saepe fecit, tanquam cum ostenderet, quid et quantum sit esse optimum imperatorem pro Leg. Manil. c. 13. quid sit esse optimatem pro Sextio c. 45 sqq. quid sit verum esse consulem in Pison. c. 10. item quid acta sint Caesaris quae commentariolis et libellis quibusdam domesticis evertere conabatur Antonius secundum Philipp. I. c. 7, 8. tum περιοδον sive distributionem cum totum in partes, genus in formas abire jusseris, veluti Cicero cum Pompeji victutes imperatorias demonstraturus omnes pervagabatur regiones, in quibus res strenue gesserat pro Leg. Manil. c. 11, 12. porro comparationem, tanquam cum Cicero P. Scipionem Nasicam Pontificem secum consule et Graechum cum Catilina contendit in 1 Catilin. c. 1. porro contrariis et oppositis veluti in hoc: M. Marcellus ornamenta Syracusanis hostibus restituit, Verres eadem sociis abstulit apud Quintil. V. Instit. c. 11. tandem ab exemplis sive veris sive fictis placitis philosophorum, ritibus antiquis similitudinibusq in quibus maxima saepe jucunditas orationis ornatum duxeris. ita v. c. si quis Libros exiliter et jejune scriptos nominaverit esse vere monogrammos quosdam de schola Epicureorum Deos. Epicuras enim Deos monogrammos i. e. nihil agentes commentus erat teste Cicerone II. de Natur. Deor. c. 23. ita quis Librorum veterum epitomatores, quales fuerunt Justinus Trogi Pompeji, Dionis Cassii Xiphilinus et Festi Paulus Diaconus vocaverit quosdam de fabula Procrustas, quoniam hos Scriptores nobis mutilatos truncatosq reliquerunt. quo eodem spectat elegantissimus ille apologus ventriculi cum membris corporis humani vixatis, quo usus est Menenius Agrippa apud Livium Lib. II c. 32.

§ 139. Sed diligenter videndum &c Ceterum in exornatione assumtionis ex quo genere ea sit animadvertere nos oportet. Si enim communis est, eodem modo uti propositio explanari et ornari debet. Sin particularis est inhaereq certi cujusdam hominis personae, non profecto rationibus generatim sumtis, sed rebus in facto positis illustretur necesse est. Sic Cicero cum sumeret in Pompeja omnia esse summa, aliam quam in propositionis approbatione exor-

nationis

nationis viam iniit. anteferatur enim Italiam, Africam, Hispaniam omnes exteras gentes et nationes ubi veram laudem sibi pepererit c. 11 et 12. ita si quis Aristidem, Atticum justum laudaverit ad exemplum praecepti Ciceroniani II. de Orat. loco a Rhet. laud. demonstrabit quid cum fide, quid cum ejusmodi aliquo officio fecerit rebus ejus gestas ad illius virtutis vim genus et nomen accommodaverit.

§ 140. Exempli exornatio & Praeter epichirema exemplo quoq; opus perpolitione. hujus autem dignitatem assequemur, si non imprudenter copia factorum, consuetudinum utamur, sed omnia quodam judicio expendemus. tum eorum ipsorum rationibus accurate reddendis orationem distinxerimus, prout causae utilitas postulaverit. primum non qualiber, sed idonea ad fidem faciendam exempla, quibus apta similitudinis cum re praesenti necessitudo inest legi debent, ut non tam quaesita et arcessita, quam sponte oblata esse videantur. deinde haec ipsa ut dilucidiora fiant perspicuam causarum cur ita dicta et facta fuerint expositionem contineant necesse est, quod tametsi saepe neglectum mirifice tamen auget vim argumentandi et est Oratoris boni maxime proprium. Rhetor Nosier duo illustria e Cicerone exempla subjecit quorum altero quoq; usus est Quintilian. V. Instit. c. 11.

§ 141. Sed in argumentationum & Verumtamen non sola argumentationum lumina sunt copia et ornatus, sed etiam commutatio et varietas. Ipsi enim eandem rem saepius tractare nos oportet; tamen non eodem modo dicemus, sed identidem commutabimus. Argumentandi vero diversitas non solum efficiet, ut ii qui audiunt fastidio similitudinis ne satientur, sed etiam suavitatem venustatemq; orationi conciliat, cum propter se, tum, ne, aut cognoscat artem qui audiat, aut defatigetur similitudinis satietate. uti loquitur Cicero II. de Orat. c. 41. Uti enim id ingeneratum est naturae humanae ut vices teneamus sedendi, ambulandi, sedendi, jacendi, nihilq; diu pati possimus: ita ipsa variandi ars cum gratiam parat et renovat aures, tum dicentem ipsa laboris mutatione refecit, ut praeclare scribit Quintil. XI. Instit. c. 3. praeterea ea princeps ars est, occultare artem ne ars esse videretur judice Quintil. Lib. I. Instit. c. II. veritas autem abest et desinit ars esse si ostentetur eodem magistro Quintil. Lib. IV. c. 2 paragr. 127.

§ 142. Varietas illa duplex est: & Varietas autem haec duplicis est generis: alterum in modo conciliandae fidei cernitur: alterum se inflectit ad novam jucundam quandam distinctionem. Ad fidem spectat, cum mox proponas aliquid quod approbes, sumasq; ea, quibus utaris, mox his confirmatis ad propositum referas atq; concludas. mox declines a proposito. deflectasq; argumentationem, mox quasi retro quae voles confirmaturus ea quae proponenda sint jacias ad extremum

num. mox non omnia confirmando disputes. mox aliquid te retiuere dicas. mox adubites quid potius aut quomodo dicas, mox aliquid relinquas et negligas. mox te reuocans quod probandum erat dicendo exigeas. Alterum in luculenta quadam argumentorum conformatione situm est, ita quidem ut eandem rem saepe multis modis uerses oculisq; subjicias commutatis uerbis et sententiis, sed maxime sententiis, saepe mutatieri aggressione occupes animos, infirmes excludasq; contraria legatur omnino Cicer. in Orat. c. 40.

§ 143. Non est autem difficile &c Ceterum eius ejusmodi exornatio siue ad rerum intelligentiam siue ad venustatem conducat maxime hae rationes sunt in promtu. primum quod homines ita finxit natura, ut non tam quid concisum necessariisq; duntaxat uerbis expeditum, quam quid suauiter et cum sensu tractatum sit requirat, nudamq; et jejunam dialecticiae paupertatem aversetur. Deinde quod omnes uulgo rationibus universe conclusis delectamur eaq; tum animo taciti comprobamus, si ad opiniones uitam et mores nostros accommodatas uidemus ut praeclare philosophatus est Aristot. II. Rhetor. c. 21. p. 572. Opp.

§ 144. Amplificatio est grauior &c Vti exornatio jucunde et leniter persuasionem elicit: ita amplificatio incitatis et magnis passibus incedens extorquet. Est enim amplificatio uehemens quaedam argumentatio, ut illa conciliandi causa sit; haec commouendi. Habet autem duas partes; quarum alteram αὔξησιν alteram δείνωσιν uocant, illam in augendo, hanc uero in exaggerando positam censent. quanquam in hoc ipso uocabulorum usu haudquaquam consentiunt Rhetores Graeci nam αὔξησιν a δείνωσει secernentes, nam αὔξησιν tanquam genus δείνωσεως sumentes, ut Longinus fecit περὶ τοῦ ὑψους sect. xi. Cum uero augere, non sit rem uero majorem facere, sed rei cujusq; uim et potestatem tanta sententiarum et uerborum copia uarietateq; proponere, ut paene oculis cerni possit, facilis ad intelligendum ratio est, undenam haec augendi disciplina ortum suum et formam accipiat h. e. e locis magnitudinis. Superest igitur, ut exaggerationis indoles demonstretur.

§ 145. Est autem valde conjuncta &c Per exaggerationem quippe latius se fundit Orator, regit et flectit animos. mox in admirationem sui rapit. mox liberius omnia audet, irascitur, objurgat, deprecatur, supplicat, intendit, imperat, ecq; modo affert eos, qui audiunt ut uolet, i. e. ut causae natura et ratio temporis postulat. Hinc mirandum non est Ciceronem ipsum de se confessum esse, in omni amplificationis genere exarsisse in Orat. c. 29. Est sane δείνωσις quae elatis incensa uerbis rebus indignis, inuidiosis uim addit, qua in primis uirtute praeter alios plurimum ualuit Demosthenes teste Quintil. Lib VI. 2. Est uero omnis in genere amplificatio maxima quatuor extollendi et deprimendi generibus constat, incremento, comparatione, ratiotinatione et congerie ut plu-

ribus

ribus demonstravit Quintil. Lib. VIII c. 4. tamen hujus loci proprie est rerum congeries sive cumulus Graecis συναθροισμος, maximeq hic valent definitiones conglobatae, rerum consequentium frequentia, contrariarum certe dissimilium et inter se pugnantium conflictio. et causae et ea, quae sunt de causis orta omninoq ea sunt adhibenda quae magna habentur.

§ 146. Itaq recte praecipiunt &c Ceterum diligenter est tenenda haec cautio, ne in hoc amplificationis genere vitiosa sedulitate utamur, h. e. omnia nimis enucleemus. Etsi enim verborum et sententiarum copia exornationi prodest delectationemq et suavitatem adjuvat: tamen exaggeratio brevi et absoluta conclusione perfecta esse debet. Minuta enim omnis est diligentia. Sed hic locus exaggerationis et amplificationis grandia et efficacissima postulat nihil vero acrius pungit quam brevis et contractior verborum aculeus legatur omnino Cicero in Partit. Orat. c. 17.

CAPUT XII.

De Sententiis

§ 147. Quoniam ad argumentationes &c Cum rei rationes nec reddi nec redditae confirmari exornariq possint sine quibusdam generatim pronuntiatis et sententiarum decretis, quandoquidem nonnulli sententiam enthymematis partem esse non injuria dixerunt, tanquam Aristot. II. Rhetor. c. 21. Operae pretium erit de sententiarum fonte, genere, virtutibus et vitiis sigillatim more Aristoteleo disserere.

§ 148 Est igitur sententia &c Sententia autem est oratio de vita actionibus aut rebus ad vitae humanae usum quoquomodo pertinentibus generatim sumta, quae aut quid sit, quodq, aut esse oporteat summatim et breviter ostendit, unde statim intelligitur non de re finita h. e. ut Aristoteles loquitur περι τῶν καθ' ἑκασων, sed de universo quodam genere h. e. ut idem Aristoteles loquitur περι τȣ̃ καθ' ὅλȣ nec de omnibus omnino rebus communibus, sed de his tantum quae appetendi et vitandi signa habent, pronuntiatum esse, ἀποφασιν vocat Aristoteles. deinde vel de communi omnium, vel de singulari quorundam vita actionibusq eam concludi posse. de communi, velut in his: credula res amor est apud Ovid. VII Metam. ✗ 826. quem metuunt oderunt, quem quisq odit periisse expetit apud Cicer. II. de Offic. c. 7. de singulari vero, tanquam in hoc Domitii Afri apud Quintil. princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere VIII. Instit. c. 5. aut: gratior Diis existimatur, qui delubris eorum puram et castam mentem, quam qui longum et meditatum carmen intulerit in Panegyr. Plin. c. 3.

§ 149. Dividuntur autem varie &c Dividuntur autem sententiae in

varia

varia genera et formas. primum sic ut vel ad res et actiones quasvis infinite h.e. secundum philosophorum nostrorum elegantiorem in abstracto respiciant, vel translatione ad certas quasdam hominum personas tempora et loca i.e. finite, sive ut iidem illi loquuntur in concreto usurpentur. illud genus Graeci vocant γνωμην i.e. sententiam communem, hoc autem γνῶμα i.e. sententiam hominum personis accommodatam. illius exempla sunt ista, quorum antea memini, hujus tale est, cum Cicero in peroratione orationis Ligarianae c.12. sic alloquitur Caesarem: nihil habet, inquiens, nec fortuna tua majus, quam ut possis, nec natura tua melius, quam ut velis conservare quam plurimos, quo exemplo etiam usus est Quintil. VIII. Instit. c.3. Possunt etiam sic dispesci, ut aliae dicant simpliciter quid sit, aliae quale sit. e priore genere est: nihil est alomni parte beatum apud Horat. II. Carmin. Od. XVI. v. 27. vel: beatus esse sine sapientia et virtute nemo potest apud Cicer. I. De Nat. Deor. c.18. ex altero vero genere hoc: res est sollicitis plena timoris amor ap. Ovid. I. Epist. Heroid. xii.

§ 150. Sunt porro sententiae &c. Praeterea dupliciter efferuntur sententiae aut sine ratione aut cum ratione, Aristoteles sic Graece definivit ἢ ἀνευ ἐπιλόγου ἢ μετ' ἐπιλόγου II. Rhetor. c.21. illas sine epilogo Rhetor Noster vocat simplices, has vero cum epilogo compositas. Rationis nullius indigent, quae in se quiddam continent certi et explorati opinionis hominum ita respondent, ut eas velle approbare nihil attineat, quemadmodum sunt: amicus certus in re incerta cernitur apud Cicer. in Laelio c.17. melius accurantur quae consilio geruntur, quam quae sine consilio administrantur apud Magistr. Herenn. IV. Rhetor. c.17. quarum nulla proprie indiget approbatione. aliae in quibus nihil valet affa ratione sunt ejusmodi quae nec perspicuam nec probabilem omnibus veritatem habent, adeoq. sua natura infirmae sunt, veluti hae, ad rem tantum relatae: falsum est, ne quid nimis, oportet enim malos nimis odio habere, quod genus sententiae sumtum est ex Aristot. II. Rhetor. c.21. porro: qui aetate et sapientia prior est, is ne discordia oriatur providere debet, ratio subjecta, nam in omni certamine qui opulentior est, etiamsi accipit injuriam, tamen quia plus potest, facere videtur apud Sallust. in Jugurth. c.10. tum: nemo satis liber est, nam aut voluptati servis aut pecuniae aut gloriae, quod exemplum sumtum est ex Fragm. Euripidis in Hecuba v. 864. fin: accipere quam facere injuriam praestat apud Cicer. V. Tusc. Quaest. c.19. ratio subest, quoniam qui infert haud dubie improbus, qui accipit probus videri solet. Ad hominis personam relatae sunt hae apud Cicer. pro Marcello c.2. ubi Caesarem alloquitur: fortuna tibi cedit tuam esse totam et propriam fatetur, rationem addit: nunquam enim temeritas cum sapientia

commisceri

commiscetur, nec ad consilium casus admittitur et cap. 3. ea, inquit, vicisti, quo et natura et conditione ut vinci possent, habebam, ratio subest, nulla est enim tanta vis, quae non ferro ac viribus debilitari frangiq possit.

§ 151. Sed tamen interdum &c Esti vero sententiae nonnullae ita sunt interdum claraे et perspicuae, ut quod continent, inter omnes constet: tamen ubi confirmentur subjectione rationis multum afferunt et gravitatis et auctoritatis. quo quis enim liberalior est in rationibus reddendis, tanto plus ingenii et sapientiae ostendit. Sed curandum tamen est, ut rationes novitate acumine et gravitate placeant, inopinata enim non mediocriter delectant. ejusmodi est illud Aristotelis II. Rhetor. c. 21 ἀθανατον ὀργην μὴ φυλαττε θνητος ὢν h.e. ne serva immortalem iram qui mortalis es, sive ut Rhetor Noster ait, non decet homines immortales iras exercere, quia mortales ipsi sunt. Item: noli te dare ventri et somno quo contra naturam corpus voluptati animus oneri est apud Sallust. in Bell. Catilin. c 2. vel: plus vigila semper cet. quae sententia est Dionysii Catonis in vulgaribus Distichis Lib. 1. nro 2. vel illud scitum Catonis apud Cicer. de Amicit. c. 24. Melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur. illos verum semper dicere, hos nunquam.

§ 152. Huic porro compositio &c Deinceps, quia sententia cum ratione imitatur enthymema, ea saepe vim pulcritudinemq suam amitteret, si eo modo collocaretur ratio, quo Dialectici ponere solent, sed mox antegredi mox subsequi, nox ita interseri debet, ut re distincta verbis confusa esse videatur, quo spectant exempla a Rhetore Nostro opportune allata. ita recte quidem dixeris: principi armis et satellitibus non admodum opus est, nam suo beneficio, caritate civium benivolentiaq tutum, non armis aut satellitibus septum esse oportet.

§ 153, 154. Distribuuntur etiam a nonnullis &c Aliam quoq sententiarum distributionem excogitarunt veteres, et quidem decem genera commenti sunt, sed eo modo, ut recte judicavit Quintilianus Lib. VIII. c. 5. quo fieri vel plura possunt per interrogationem, comparationem insitionem, similitudinem, admirationem, alia id genus, nam sententiae per omnes figuras tractari possunt. Verum uti non necessaria est illa partitio ob innumerabiles rerum et dictionis species, quas unaquaeq sententia a fecundo scribentis ingenio accipere potest: sic eadem distributione vana jure abstinuit Rhetor Noster nec multum ei tribuisse visus est Quintil. ut inspicientibus illum a me laudatum locum apparebit. Interim hoc sententiae genus ut ceteris praestantissimum est: ita delectationis et pulcritudinis plurimum affert, quod fit e contrariis, aut sal-

ten

tem diversis. Prioris formae haec exempla sunto: Commode quicunq; dixit, pecuniam qui habeat non reddidisse, qui reddideris non habere. gratiam autem et qui retulerit habere et qui habeat retulisse apud Cicer. II de Offic. c.20. In cujus tamen sententiae priori parte lusum verborum inanem esse non diffiteor. tum: avaro deest tum quod habet, quam quod non habet apud Quintil. Lib. VIII c.5. item: facere adolescens probus periculose, quam perpeti turpiter voluit apud eundem loco laud. Sic Vellejus Paterculus de Cicerone eleganter scripsit qui omnia incrementa sua sibi debuit vir novitatis nobilissimae, et ut vita clarus ita ingenio maximus, qui effecit ne quorum arma viceramus eorum ingenio vinceremur. Ex altera haec: mors misera non est, aditus ad mortem miser est, quod exemplum extat apud Quintil. l.l. et de Pompejo Tigranem in pristinum fortunae habitum restituente Valer. Maxim. Lib. V c.1. explo. 9. aegs pulcrum, inquit, esse judicavit et vincere reges et facere.

§ 155. Ex genere contrariorum Ve Utri autem omnis sententia est enthymema, hoc vero nomine potissimum veniebat olim quod e contrariis conficiebatur, quemadmodum aut Homerus commune Poëtarum et Aristoteles philosophorum apud Graecos, aut Cicero Oratorum, aut denig Roma Urbis nomen effecit suum apud Romanos vid. Cicero in Topic. c.13. Sic omnis sententia e contrariis efficta propemodum sola eo nominis honore digna censetur quoniam est pulcherrima et inter ceteras eminere videtur praesertim si interrogationis figura illustretur. Ejus generis haec sunto: cur optas quod habes? cur quem damnas probas? quem probas accusas apud Cicer. I de Invent. c.45. item: servare potui, perdere an possim rogas? ut Medea loquitur apud Ovid. in Tragod. deperdita quo inscribitur Medea citante Quintiliano VIII Instit. c.5.

§ 156. Omnino sententiae fortius Ve Sane longe acrius feriunt sententiae interrogando quam simplici et familiari sermone compositae. Ita probabilis quidem et recta est ejusmodi sententia: non est servus qui mortem contemnit, sive ut Seneca Philosophus ait Epist. 26. qui mori didicit servire dedidicit, sed longe majorem vim accipit commutatione figurae uti apud Euripid. in Fragm. incertarum Tragod. p.513. edit. Barnes. de quo versu toties a veterum Scriptoribus laudato vid. Plutarchus (si modo ejus est) de audiendis Poëtis p.191 edit. Kreffianae. Item illud Senecae Tragici in Hercule Furente v. 426. Cogi qui potest nescit mori, hoc enim modo ut Rhetor noster posuit nusquam in Seneca nec Philosopho nec Tragico me legere memini. Sed valentiores habebit lacertos si ita pronuntiaveris: qui scit mori quomodo cogi poterit?

§ 157. Hoc de

§ 157. Haec de generibus &c Quales sint sententiarum virtutes partim ex superioribus intelligitur, ubi docueram optimam esse sententiam ratione cum opus sit exquisita et nova approbatam, tum quae ex contrariis nata interrogationis formam induerit: partim ex consequentibus apparebit. primum enim danda est opera, ut veri ratio habeatur, neu quid falsi contineant sententiae, saltem cavendum esse monet Quintil. VIII. Instit. c. 5. quae palam falsae. ex quo genere fuerunt hae, quae Quintiliano adolescente in omnium paene declamatorum ore erant cum illustris alicujus viri filium adolescentulum laudarent. magnorum fluminum navigabiles fontes esse. item: generosioris arboris plantam statim cum fructu esse, quales sententias vider Quintil. Lib. VIII c. 3.

§ 158. Altera virtus &c Praeter veritatem in sententiis spectari debet honestas, scilicet ea virtus, qua nec pietati in Deum hominesq; vim inferimus, nec probitati morum adversamur. Nam si officium istud vel utrumq; vel alterutrum sententiae laedunt, non modo fidem impedient, sed etiam Oratori invidiam crebunt. Sic prima quidem specie argutae et subtilis elegantiae videtur esse illa Lucani 1. Bell. Pharsal. X 128 Victrix causa Diis placuit sed victa Catoni. Sed si recte apud animum revocatus mire flaccescit nihilq; ponderis habet nisi insano impietatis acumine vid. Drouckhusius in Adnotat. ad h. l. Eodem paeto frigida falsa et indecora exat Timaei sententia in historia sua scribentis, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianae Ephesiae templum deflagrasse. neq; id mirandum esse, quod Diana cum in partu Olympiadis adesse voluisset abfuisset domo, quod dictum quantumvis multis ridiculum videretur tamen jure damnavit Plutarchus in Alexandro p. m. 665.

§ 159. Tertia virtus acumen est: & Tertia sententiae virtus est acumen et urbanitatis quidam lepos, orituq; hic nitor vel ex materia vel ex ejus forma. In materia cernuntur sensus recondite et subtilitate ambigui, qui si rerum naturae ipsi respondent adjuvanturq; popularitate argumenti non possunt non suavitatem et gratiam afferre, nam cum intellexerint eos audientes, non tam Oratoris, quam suo acumine delectantur et gaudent non quasi audierint, sed quasi invenerint ut loquitur Quintil. Lib. VIII c. 2. Unde liquet minime negligendam esse perspicuitatem, verissimum enim est illud Horatii I Satyr. Sat. X 69 recidit omne quod ultra perfectum trahitur. E forma sunt cum e contrariis, saltem diversis ponuntur. utriusq; generis exempla jam occupata sunt supra ad paragr. 150. et 154. jungantur hae Senecae in Consolat. ad Polyb. c. 26. magna servitus est magna fortuna. et Plinii in Paneg. c. 21. Soli omnium contigit tibi ut pater patriae esses, antequam fieres, eras enim

enim in animis in judiciis noſtris. Illud vero Plinianum exemplum quod obſcuritatis vocat Rhetor noſter extat VII. Hiſtor. Natur. c. 50.

§ 160. Acutis contrariae ſunt vulgares &c Acutis opponuntur vulgares et quotidianae, tanquam: conſcientia mille teſtes. quot homines tot ſententiae. Non omnia poſſumus omnes. Noſce teipſum aliae id genus, quales etſi per ſe nihil habent argu-ti quod aures animoſq; pungat, imo frigidiſſimae evadunt praeſertim ſi alieno loco et quaeſita quadam gloriatione proferantur: tamen ſi utiles, vel obiter vel cum jucunda dictionis expolitione adſciantur tritam hanc quotidiani uſus formam exuent et exquiſitam ſe induiſſe videbuntur, recte Ariſtoteles χρῆσθαι inquit δεῖ ταῖς τεθρυλλημέναις γνώμαις ἂν ὦσι χρήσιμοι. Ita nihil vulgatius hoc ſententiae genere: mortem nemo effugit. vel ſi tamen abjectae huic et cadaverosae velut ſententiae vitam et ſpiritum reddidit Horatius; Pallida, inquiens, mors aequo pulſat pede pauperum tabernas regumq; turres 1. Carmin. Od. IV. v. 13. Sic aliud agendo breviter, apte tamen ſententiam quantumvis tralatitiam inſerit Auſtinus, more, inquiens, ingenii humani, quo plura habent, eo ampliora cupientis Lib. VI c. 1. Interim de hujus exornationis via et modo plura praecipiuntur Cap. V. de Ornatu e Copia.

§ 161. Laudatur porro in ſententiis &c In ſententiarum quoq; virtutibus cenſeri debet novitas, ſaltem Cicero cum Craſſi ſententias nox ab integritate h. e. ut equidem interpretor honeſtate, nox a veritate, nox a pigmenti fuſci, puerilis fuga laudaſſet, non oblitus eſt dicere, novas fuiſſe II. de Orat. c. 45. Nihil ſane eſt, quod magis delectet et moveat homines quam res magnitudine praeſtabilis aut novitate prima. quo minus mirari nos oporteat inauditum antea ſententiae genus eodem ſuavitatis ſenſu animos implere. Nova autem fit ſententia vel inventionis materia vel dictionis varietate. Inventione putantur novae, ſi ex inopinato aliquid trahunt, ſi alunde petita i. e. in alium locum ex alio tranſlata vel aliorſum quam pro rei natura relata continent, in quibus etiam ingenii vis et perſpicacia eluere debet vid. Quintil. Lib. VIII c. 5. Dictionis varietate et ſtilo fiunt novae, ſi vulgares et uſu tritas alia veſte ornamus. nam ſaepiſſime in rebus et rerum inventione nulla eſt novitas, quid enim magnopere dici ſolet vulgo, quod non dictum ſit prius? attamen rebus diu cognitis aliam atq; aliam ſpeciem conciliare poteſt ingenii urbanitas, ut ad ſuperior. jam paragr. oſtenſum eſt. Etſi enim in vulgaribus haud raro ſententiis aliquid acuminis reſideat, tamen haec ipſae, ſive quod omnium ſermone teruntur, ſive hoc ipſo, quod acutae ſunt, ubi eodem modo ſaepius recurrunt, aurium faſtidioſiſſimum ſenſum cito ſatietate afficiunt, ideoq; his abſtinendum eſt, niſi ſuo loco et opportune uti poſſis, aut ejus ſint naturae ut proverbiorum vim auctoritatemq; obtinuerint.

§ 162. Quia

§ 162. Quia proverbiorum &c. Cum vero e proverbiis interdum urbanitatem duxere puerum et eruditum habeatur, eorum hic mentio facta sit, breviter qualis illorum usus abusus sit in oratione docere operae pretium erit. Proverbium Graecis dicitur παροιμία tanquam fabella brevior, pervulgatum aliquod dictum communis hominum ore tritum, unde etiam adagium appellatur sive archaice abagion. dicta ab eo, quod ambiat orationem, ut ait Varro VI. de Ling. Lat. c. 3. Cujus generis dicta cum a sententiis non multum abhorreant, usurpari quidem haec possunt, sed primum cum delectu et judicio neu sine discrimine acuta et exquisita aut insulsa et nimis protrita usurpentur. deinde parcissime et sine vanae ostentationis gloriola, Cicero saltem, at quantus dicendi artifex! ut plurimum ab orationibus proverbia abesse jussit, et si utitur illud semper addidit, ut ajunt, veluti 3. Philipp. c. 11 cum Antonium rideat: o praeclarum custodem ovium, ut ajunt lupum. Contra frequenter proverbiis utitur in Scriptis Rhetoricis, philosophicis et Epistolis tanquam: scopas dissolvere in Orat. c. 71. juvandi acti labores II. de Fin. Bon. et Mal. c. 32. summum jus summa injuria I. de Offic. c. 10. te dignum esse ajunt, quicum in tenebris mices III. de Offic. c. 19. ita vetus proverbium monet; maturae fieri senem si diu velis esse senex de Senect. c. 10. eodem pacto: multos modios salis simul edendos esse ut amicitiae munus expletum sit in Laelio c. 19. Sic culpa illa: bis ad eundem, vulgari reprehensa proverbio est X. ad Div. Epist. 20. et plura alia in Epistolis ad Atticum, quae excerpere nihil attinet. Inde hanc rationis conclusionem duco, minime audiendos esse quosdam eloquentiae magistros, qui maximum Oratoribus proverbiorum usum esse jactant, tanquam Heineccius in Fundam. Stili c. 2. paragr. 34. dici non potest, inquiens, quantopere orationem ornent ejusmodi adagia. Si enim orationem sumsit pro universo scribendi genere illud decretum utcunq; tolerari potest; si ad orationem propriae sic dictam respexit, falsus omnino est, quoniam in Orationibus suis Cicero, ubi minime quotidianum imitabatur sermonem proverbiis jure abstinuit ut ante demonstratum est. proinde male sibi consulunt et tironibus male persuadent omne orationis genus quibuscunq; proverbiis tanquam vestem centonibus consui oportere. Proverbia autem vera olim Graecis et Romanis usitata non aliunde melius discuntur quam ex Paroemiographis Schotti.

§ 163. Denig virtus est sententiarum &c. Tandem haud postrema sententiarum virtus est naturalis pulcritudo i. e. color sanguine diffusus non fuco aut pigmento puerili illitus, qualem in sententiis Crassi vehementer probat Cicero loco a Rhetore laudato. Inest autem in his fucus, si acumen earum ex rei natura causisq; non intelligitur, si verborum ambiguitas cum rerum falsa quadam similitudine jungitur, ut nihil veri sensus elici possit, si denig corruptis sensibus et minutis quibusdam inventiunculis reguntur, quae excussae risum habent, inventae quadam ingenii specie blandiuntur. Ita male semper et vitiosae sunt sententiae a verborum sonitu inani et nominum

quadam-

quadam similitudine ductae, veluti si quis allocutus sit Senatores Romanos, Patres Conscripti, sic enim incipiendum est mihi ut memineritis patrum apud Quintilian. Lib. VIII c. 5. eodem pacto, si quis Draconis leges non hominis, sed draconis esse dixerit apud Aristot. II. Rhetor. c. 23. atq in haec dulcia proclives sunt vitia qui nec ingenio instructi, nec optimorum Librorum lectione tanquam pabulo nutriti, aliquid tamen novi et pulcri si Diis placet, in medium afferre audent, qui morbus etiam erat nonnullorum olim Scriptorum, tanquam Timaei, quem Longinus notavit de Sublimit. Sect. IV p. m. 11. In eo autem reprehendit Longinus, quod aliquando Alexandrum laudaturus scripserit, illum paucioribus annis universam subegisse Asiam, quam Isocrates suum de bello Persis inferendo panegyricum absolverit. egregia, me hercle, comparatio erat tanti regis cum Sophista! Sic Longinus ibidem ex aliis Scriptoribus cultissimis Herodoto, Platone, Xenophonte exempla conduxit, unde liquet etiam hos interdum aliquid humani passos esse.

§ 164. Neq vero committendum &c Etsi vero omnes sententiae pro bonis habentur, quae his virtutum luminibus nitent: tamen in vitiosas degenerare possunt, si iisdem alieno loco et moleste utamur, quod fit duplici modo, aut repetitione, aut decori negligentia. primum repetitione, cum sententiae quantumvis acutae diutius quam par est immoramur et ad eandem semel iterumq dicendo relabimur, in argumentis enim gravibus haerendum potius est, quam in punctis sententiolarum ad delectationem suavitatemq unice compositarum. Eadem enim ratio est, quae gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius, quiq dulcedine commovetur; verumtamen cito id, quod valde est dulce aspernatur: sic omnibus in rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est, quo minus id mirari nos oportet. In oratione hujusmodi repetitionis vitio olim laboravit quidam Montanus, qui non contentus unam rem et sententiam semel dicere, efficiebat repetendo ut bene dicere non posset secundum Senec. Rhetor. IX Controvers. Declam. 5. verum sane proverbium fuit veteris alicujus Scriptoris Graeci δις γραμβη θανατος in Paraemiogr. Schotti p. 407. quo respexit Juvenalis Sat. VII ix 154. Occidit miseros grambe repetita magistros.

§ 165. Illa quoq cautio est &c Decori sive dignitatis negligentia est, si passim, promiscue, et a quocunq dicuntur sententiae. grandioribus enim natu usuq rerum subactis convenit sententias dicere, quoniam hi de vitae publicae et privatae negotiis probabiliter judicare posse censentur, quod etiam praeclare monet Aristoteles II. Rhetor. c. 21. ἁρμοτται, inquiens γνωμολογειν ἡλικιᾳ πρεσβύτερον quod idem ferme est, atq illud Quintiliani praeceptum, magis, inquientis, decent eos sententiae, in quibus est auctoritas, ut rei pondus etiam persona confirmet, quis enim ferat puerum aut adolescentulum, si in dicendo judicet, et quodammodo praecipiat?

§ 166. Luculentissimus usus est &c Insignis autem sententiarum usus est

est cum in exemplorum tum in argumentationum exornatione conformanda uti supra jam Rhetor Noster paragr. 140. et 142. obiter indicavit. Sic enim credibilia fiunt exempla rationesq; in animos eorum, qui audiunt citius quasi influunt, si his universe pronuntiatis rerum causarumq; intimos recessus et latebras aperueris.

§ 167, 168. Omnium maxime &c Usi autem in docendo et delectando sententiae verae, acutae, integrae locum habent: sic in movendo regnant sublimes, quae proinde aliis dicendi generibus vix quidem accommodari possunt, sed de his jam actum est eo loco ubi de dicendi genere sublimi Rhetor disputavit. In quo toto autem sententiarum usu maxima Oratori prudentia opus est. in primis id cauendum est ubiq; ne crebrae sint, sed modus adhibeatur, oratio, inquit Cicero III. de Orat. c. 25. conspersa sit quasi verborum sententiarumq; floribus, id non debet esse fusum aequabiliter per omnem orationem, sed ita distinctum, ut sint quasi in ornatu dispositae quaedam insignia et lumina. Atq; illam quidem acute dictorum salubritatem amarunt omnes quotquot illis temporibus vixerint, quibus incorrupta artium dignitas et flos constabat. postquam vero Romani cum libertate veram literarum et eloquentiae urbanitatem amisissent, disseminata est quaedam disciplina vibrantes sententiolas promisque et frequenter usurpandi, adeo ut nullum paene locum nullamq; sermonis clausulam praetermitterent, quin rerum pondera acuminibus frangerent, unde nullus poterat esse delectus sententiarum cum numero laboraretur, nec sententiae amplius velut oculi eloquentiae erant, quia totum orationis corpus tanquam oculeum esse coeperat. Cujus dicendi generis valde corrupti imaginem depinxit passim Quintil. tanquam I. Institut. c. 8. Lib. II. c. 5. et passim alicubi. Talibus pigmentis et fuco sententiarum praeter ceteros delectabatur Seneca, praestantissimi quidem ingenii et magnae virtutis homo, sed in sententiarum aucupio nimius, propterea vapulat Quintiliano Lib. X: 1 id vero judicium longe esse verissimum uno alterove loco Senecae pulchre demonstravit Rollinus in Method. Doc. et Disc. Don. Literas. Tom. II a p. 170. Etenim quo plus acuminis habent sententiae, tanto minus ferre possunt molestiam cumuli. Dici enim non potest quam celeriter ab his, quae prima specie nos acerrime commovent fastidio et satietate abalienemur.

§ 169. Sententiarum bonarum &c Purissimi fontes e quibus bonae hauriuntur sententiae sunt primum philosophi Socratici, Plato et Xenophon. deinde ingeniosissimi Oratores Lysias, Isocrates, Demosthenes Cicero. tum rerum auctores, Thucydides, Xenophon, Sallustius, Livius nec non clarissimi Poëtae Homerus et Euripides. In his omnibus eminent et aetate et ingenio maxime Homerus, Thucydides, Euripides, Plato atq; Xenophon, unde sequentium temporum Scriptores et Poëtae tam Graeci quam Romani sues irrigarunt hortulos. Homerus certe, qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile quid

non

nor, Clarius et melius Chrysippo et Crantore dixit judice Horat. 1. Epist. Epist. 2. ad 3, 4. Omnibus sane eloquentiae partibus exemplum et ortum dedisse dicitur Quintiliano X. Instit. c. 1. Cujus Homeri πανσοφίαν debemus Jacobo Duporto Cantabrigiensi super. seculo 1660. editam. Thucydides ille rerum gestarum grandis et sincerus pronunciator, ita creber fuit rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur judice Cicer. II. de Orat. c. 13. Sic Euripides oratorio accedere generi et sententiis densus esse dicitur Quintil. l. a. l. Lib. X. c. 1. (: quod caput saepius legi debet :) quae ratio fuit, cur Socrates eum libenter audiret teste Aeliano II. Var. Hist. c. 13. Quales praeterea sint Plato et Xenophon intelligi potest ex eodem Fabii loco. Nonnullorum sententias sigillatim digesserunt viri docti. ita Aristologiam Euripideam debemus viro Graece doctissimo Mich. Neandro Basil. 1559 in 4°. Platonis sententias in unum corpus redegit Nicol. Liburnius homo Venetus Paris. 1552. Isocratis sententias collegit egregius Patavinorum Orator Jac. Facciolat. in Monitis Isocrateis Patav. 1741 octavo. Demosthenis πανσοφίαν reperimus in edit. Operum Wolfian. Tandem Ciceronis sententias uno haud ita pridem complexus est Codice Abbas Olivetus in Libro cui titulus gallo-francicus -- Paris 1745. Multas aliorum digessit Dominicus Bouhursius Jesuita olim Parisiensis. Sententiis quoq; abundant Seneca, Plinius Minor, Tacitus. sed cum deflexerint hi a naturali acuminis pulcritudine et in seculi sui ingenium immigraverint, non prius fere legendi sunt, quam superiorum elegantia judicium quis suum conformaverit.

CAPUT XIII.

De Argument. Refutat

§ 170. Quia Orator non modo &c. Cum Oratoris sit non solum suas confirmare, sed adversarii quoq; argumentationes diluere et infirmare; restat ut qua via convellantur rationes breviter ostendam. Refutatio autem, Graece ἀνασκευὴ sive ut Mag. Herenn. II. Rhetor. c. 20. reprehensio, vel Quintiliano Lib. X c. 5. destructio, duobus potissimum modis fit, vel argumentatione contraria, vel argumentationis propositae vituperatione et dissolutione h. e. vel ἀντιεπιλογισμῷ sive ἀντιπαρασκευῇ et ἐνστάσει vocabulis ab Aristot. II. Rhetor. c. 25. repetitis.

§ 171. Argumentatio contraria est &c. Argumentatio contraria est cum ex iisdem locis, unde rem confirmaverat adversarius prorsus disjunctam rationem concludimus omninoq; cum aliquid leviter mutatum in contrarias partes rapimus. Ita, ut quod complexio adversarii tanquam inutile, turpe, injustum damnaverat, nostra tanquam utile honestum justumve ex contrario contendat. Quam judicii de eadem re diversitatem et repugnantiam nemo mirabitur, qui meminerit Oratorem in rebus opinabilibus versari, quae

sua

sua natura in utramq partem disputari possunt. potentissima vero est illa dissolvendi ratio, quae fit per conversionem, Graece κατα βιαιον quasi per vim et retorquendo vid. Hermog. III. de Invent. c. 6. Talis argumentatio est in Orat. Manil. Ciceronis cap. 20. ubi Q. Catuli argumenta; Si Pompejo aliquid humanitus acciderit, in quo spem essetis habituri. respondit κατα βιαιον quo igitur minus certa est hominum ac minus diuturna vita, hoc magis respublica, dum per Deos immortales licet, rui debet summi hominis vita et virtute. Eodem modo Milonis accusatorem refellit pro Milone c. 13. cum enim ille contendisset Milonem Clodio insidiatum esse ideo quod Milo Clodium odisset. Negat hic idoneam esse insidiarum et caedis causam. odium Clodii. Milonis enim aut profuisse vitam Clodii, mortem contra obfuisse. nam sic exercitationem virtutis, suffragationem Consulatus, fontem perennem gloriae suae perdidisse. Eodem pacto suadere quis possit non ducendam esse uxorem, hac ratione usus, ne in orbitatem incidamus et luctum, cui jure responderit quispiam: imo ducenda est ut orbitatem vitemus. quod exemplum sumsit Rhetor ex Vossio Lib. III. Instit. c. 5. Cognitio autem vitiosarum argumentationum duplicem utilitatem affert; nam et vitare in argumentatione vitium admonebit, et ab aliis non vitatum commode reprehendere docebit.

§ 172. - 73 - 74. Reprehensionis autem &c Argumentatio autem disturbatur duobus modis: si, aut ex iis, quae sumta sunt, non conceditur vel propositio vel assumtio, vel alterutra, genusq ideo ipsum argumentationis vitiosum ostenditur. aut si, his concessis complexio ex his confici negatur vid. Mag. Herem. II. Rhetor. c. 20. Nam vel quantitas propositionis dituitur, cum non extenuata ratione sed universa atq absoluta aliquid confirmatur. aut ab aliqua majoreve parte ad omnes confertur id, quod non necessario est omnibus attributum, exemplum habet Cicero I. de Invent. c. 43. vel modus pronunciandi in dubium vocatur, cum id quod necessarium aut credibile adversarius dicit negatur esse ejusmodi. est autem necessarium quod aliter atq dicitur nec fieri nec probari potest, veluti, quoniam cicatrix est, fuit vulnus. Credibile est id, quod fieri solet, aut in opinione positum est, tanquam quo exemplo usus est Quintil. Lib. V c. 13. si multus erat in calceis pulvis ex itinere eum venire oportuit. imo vero accidit saepe in quibusdam rebus aut hominibus, ut quod omnibus dicitur usu venisse, non omnibus sed nonnullis accommodari debeat. ideoq quantitas in epichiremate et enthymemate vituperabitur, si ostenderis aliquid pro communi sumtum esse, quod tantum in formas generis cadit. aut aliquid sicubi necessarium inducis, quod tantum cum adjunctione necessarium esse possit. Interim cum ab hac demonstrationis subtilitate dicendi popularitas abhorreat, liberius ea vim argumentationum labefactare, quam horridulis Dialectices legibus frangere maveli. proinde alius et ad vulgi

intelligent.

intelligentiam aptioribus utitur rationibus, tanquam ex eodem loco, e contrario, e simili, e praejudicatis et aliis id genus legantur omnino Aristot. II. Rhetor. c. 25. et Cicer. I. de Invent. c. 43, 44.

§ 175. Primum igitur &c Primum ex eodem loco argumentatio proposita reprehensione infirmatur, si conversione paulum immutata nobis magis quam adversario patrocinata fuerit, tanquam cum accusatores Milonis negarent intueri lumen fas esse ei, qui a se hominem occisum esse fateatur, quibus respondit Cicero pro Milon. c. 3. in qua tandem, inquiens, urbe hoc homines stultissimi disputant? imo licet sceleratum civem interficere, idq; non modo justum verum etiam necessarium cum vi vis illata defenditur. ibid. c. 4.

§ 176. Alterum genus est &c Deinde e contrario argumentatio proposita refellitur, cum, quia contrarium ex his, quae sumuntur, concedi non possit, etiam hoc omni ex parte verum esse negabitur. Ad hunc modum illud Aristotelis: ὁ αγαθος ανηρ παντας τȣς φιλȣς ἐυποιει h. e. vir probus omnibus amicis prodest. contra eludi potest dicendo αλλ ȣθ' ὁ μοχθερος κακως sed nec homo improbus omnibus inimicis nocet. unde simul intelligitur, non esse usquequaq; verum, quod generatim et universe sumtum erat, tanquam, qui pauperes sunt, iis antiquior officio pecunia est. imo facile ostendi potest, id quod in nonnullis pauperibus improbis sit, in omnes pauperes falso et injuria conferri vid. Cicero I. de Invent. c. 43. A quo non multum discrepat istud, quod Rhetores a simili ponunt, tanquam apud Aristot. οἱ κακως πεπονθοτες ἀιει μίσȣσι i. e. qui injuriam acceperunt semper ejus auctorem oderunt II. Rhetor. c. 25. atqui vero haec propositio aliquid falsi continet, nam οἱ ευπεπονθοτες ȣκ ἀιει φιλȣσι i. e. non omnes qui beneficium acceperunt, bene de se merentem amant.

§ 177. Jam, quod pro necessario &c Illud vero, quod pro necessario assumtum est, evertetur, negando, vel eventum rei cum illa quam quis dixit causa necessario cohaerere, vel ejus rei causam hanc unicam et propriam esse. Sic enim conveniet reprehendi ut demonstretur, causa illa posita non semper hujusmodi rem effectam nasci, nec rem ab hac sola causa gigni, sed ab aliis etiam causis existere posse. Ad hunc modum: exercitatio robustum corpus facit, sed non quisquis est robustus, ille est exercitatus, neq; quisquis exercitatus robustus est. vel: iter, pulverulentum facit, sed nec omne iter pulverem movet, nec quisquis est pulverulentus ex itinere est, exemplis Quintil. V. Instit. c. 10.

§ 178. Probabile autem, quod sumitur &c Verisimile vel probabile refelletur varie, pro diverso rerum genere. aut enim de verisimilitudine causarum rem aliquam efficientium. aut de rerum a causis effectarum fide dubitabitur vid. Aristot. II. Rhetor. c. 25. Utrobiq; reprehensio necesse est sumatur ex iisdem locis, quibus id, quod pro necessario sumtum erat enervari posse ostendimus, ita quidem, ut ex his causis longe alia saepe facta esse probemus, tanquam in hoc: probabile non est, eum, qui Dialecticam communem, sive, ut cum vulgo loquar Logicam universalem didicit, semper accurate et subtiliter de singulis causis

singulas

singularum doctrinarum et artium juduare posse. usus enim rerum magister docet, eos, qui universe rationem satis bene concludunt, ubi in rem presentem venire debent, aut aqua haerere aut male judicare. Praeterea infirmari oportebit demonstrando nimium saepe, temporum, personarum, locorum vicissitudines impedire, quo minus res conveniens causae suae eventum habeat, veluti probabile non est, eum, qui levia et tralatitia docet, illiterati vulgi plausu carere, plures enim artium putamina gustare, quam nucem frangere malunt. Tandem hoc argumentationis genus vitiosum esse ostenderetur, si res longe aliis e causis, quam quae sumtae fuerant, evenerit, veluti, si Chrysogonus Roscii Amerini accusator diuisset; nisi pater odio te habuisset, non in praedia rustica te ablegasset, sed domi et in urbe te secum esse voluisset, cui egregie respondit Cicero; imo pater non odio aut amandationis gratia, sed benivolentia et honoris causa tot filio suo praedia tam pulcra, tam fructuosa colenda et tuenda tradiderat, quoniam boni patris familias honestissimum sibi putant esse filios suos rei familiari maxime servire et in praediis colendis plurimum operae et studii consumere vid. eum pro Sext. Rosc. Amer. a c. 15.

§ 179. *In exemplo porro &c.* Exemplum vitiosum erit, si aut ad id quod instituitur, minime est accommodatum, si aut falsum, aut majus aut minus quam res ex amussim postulat. aut si improbum, ut non sit imitandum, aut denig, si adversus idoneum quidem exemplum alia e contrariis sive unum sive plura in medium afferri possint aeq firma aut firmiora similioraq temporibus locis et personis vid. Aristot. II. Rhetor. c. 25. Quodsi exempla inductionis dialecticae et Socraticae formae adhibeantur, ne imprudentes ab eo, quod concessimus, ad id quod nolimus concedere deducamur, facile eadem reprehendemus, cum ostenderimus vel non similia esse in rebus, quas res quasi non dubias primum induxerit adversarius, vel in enumeratione quiddam praeteritum dicemus, aut infirmum aliquid annumeratum, quod vel contradici possit aut causa non sit, quare possimus concedere. Cujus infirmationis exempla dabit Mag. Iter. II. Rhetor. c. 21.

§ 180. *Collatio dissolvetur &c.* Cum autem pro comparabili aliquid ad argumentum sumetur, quoniam id per similitudinem maxime tractari solet, in reprehendendo conveniet negare simile id esse, quod conferretur ei quicum conferretur, idq fieri poterit si demonstrabitur diversum esse genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione hominum, ubi simul quo in numero illud quod per similitudinem allatum est, et quo in loco genus hoc cujus causa allatum est haberi conveniat, demonstretur. Exempla huic reprehensioni propria et apta habet Quintil. Lib. V. c. 11.

§ 181. *Si autem concedatur &c.* Cum concesseris propositionem et assumtionem, complexio erit infirmanda. ubi animadvertere nos oportet, utrum breviter concludat, an aliud quam cogi debebat, inferat? an id quod consequens esse dicitur, aut omnino non, aut non necessario cum eo, quod antegressum erat

cohaereat

cohaereat? an denig certum et constans aliquid relinquat? unde intelligatur quid propositum in argumentatione sit, legatur Mag. Herenn. II. Rhetor. c. 29 et Rhetor Noster in Dialectices c. 8. de Disputatione par. 171 ejus Init. Solid. Doctrin.

§ 182. Ceterum per se intelligitur &c Ceterum quoniam aeq id quod argumentatione confirmatur, quam quod in disceptationem vocatur verbis et sententiis adjuvari debet; sequitur ut in argumentationis reprehensionem eadem cadant, quae supra de argumentorum exornatione et amplificatione generatim praecepta sunt. Sive enim accuses, sive defendas, utrinq vel approbandi vel refutandi ratio similis est, adjuvanda quippe viribus dicentis et adornanda, ut ait Quintil. Lib. V c. 13.

PARTIS I.
Sect. II.
De Dispositione
h. e.
De partibus orationis, earumq natura, inventione, et ordine.

§ 183. Inventionem Dilectus &c Inventionis velut comes est rerum argumentorumq apta collocatio. id enim secundum est de tribus oratoriae facultatis partibus. Nimirum non refert tantum quid et quomodo dicamus, sed etiam qua serie et loco. Opus igitur est prudenti dispositione. Dispositio autem est ordo et distributio rerum, quae demonstrat quid quibus in locis sit collocandum definiente Ciceron. 1. de Invens. c. 7. et Quintil. Lib. VII c. 1. cui dispositio est utilis rerum et partium in loces distributio. Cujus distributionis utilitas partim ab institutione artis profluit, partim solo judicio et prudentia Oratoris ad locum, tempus et personam accommodatur. Uti enim omnibus argumentis, quibus quis velet ubi non licet, sed quae singularum causarum natura et ratio postulat: sic rerum collocatio non semper nostri est arbitrii, sed a variis temporum et personarum causis regitur. Hinc intelligi potest ratio, cur Cicero, filio interroganti, semperne ordinem collocandi, quem volumus, tenere possumus? sic respondeat patet: non sane. nam auditorum aures moderantur oratori prudenti et provido, et quod respuunt, immutandum est in Orat. Partit. c. 5. Sapientia autem maxima eloquenti adhibenda est, ut sit temporum personarumq moderator recte Quintil. II. Instit. c. 13. ubi, res, inquit, in Oratore praecipua consilium est, quia varie et ad rerum diversarum momenta convertitur, et nox, res duas in omni actu spectet Orator quid deceat quid expediat. Utrinq disponendi generis, sive artificiosi, sive ad casum temporis accommodati. Ita monstrat vera Rhetorices disciplina.

§ 184. Partes

§ 184. Partes autem aliae &c Omnes vero nominatim partes, quibus oratio consumitur, recensent veteres Rhetores, tanquam omnium cultissime Cicero II. de Orat. c. 19. antequam, inquiens, de re dicimus initio conciliandos eorum esse animos qui audiunt, deinde rem demonstrandam, postea controversiam constituendam, tum id quod nos intendimus confirmandum, post, quae contra dicuntur refellenda, extrema autem oratione ea, quae pro nobis sunt, amplificanda, quae pro adversariis frangenda, quod idem est ac si dixisset, orationem absolvi exordio narratione, propositione et partitione, confirmatione, refutatione et tandem peroratione. In ejusmodi sane partibus aliae sunt necessariae ita quidem ut sine his ne oratio quidem intelligi possit. aliae non necessariae sed tamen ad persuadendum utiles. E genere necessario sunt propositio et confirmatio, rectissime Aristoteles ἀναγκαια inquit μερια προθεσις και πιστις ubi enim nullus sermo instituii potest in quo primum non quaeratur id, de quo disputari debeat, deinde non demonstretur et probetur: sic nulla in Oratoribus causa suscipitur, in qua primum non proponatur id quod in controversia positum est, deinde non approbetur, ut adeoq; semper et ubiq; propositione et confirmatione opus sit. vid. quoq Cicero II. de Orat. c. 77. Tametsi enim interdum dissimuletur propositio, tamen virtute sua adesse, saltem adesse debet. proinde caute nec alio nisi hoc sensu accipienda sunt verba Quintiliani, propositione, inquientis, non semper uti necesse est, aliquando enim sine propositione aliqua satis manifestum est quid in quaestione versetur. Ex genere utili sunt exordium, narratio et peroratio. Nam Oratio etiam sine exordio intelligi potest, si qui audiunt jam satis praeparati sint ad hanc rem, tanquam in suasoria oratione non opus esse videtur proemio, quoniam natura sua quisq; oratori favet, quem consulit. Item si de re manifesta aut levi dicendum sit, necessarium esse negant Aristot. III. Rhetor. c. 14. et Cicero II. de Orat. c. 79. Similiter in judicialibus supervacaneum aliquando proemium esse censetur, documento sit Ciceronis Oratio pro Cluent. ubi statim a partitione orditur, quae ut infra demonstrabitur est propositionis forma. Deinde petit a judicibus ut id quod aequissimum est, nec quicquam praejudicati ad hanc causam afferant. Interim haec fuit ratio cur Senatus Areopagiticus juberet Oratorem vel patronum causarum dicere ἀνευ προοιμιου και ανευ παθων. Neq; omnia causarum et argumentorum genera narrationem postulant, quae saepissime fusa esse debet in perpetua oratione. Sic in demonstrativo genere non semper narratione indigemus, praesertim si res gestae ejus, quem laudamus omnium ore celebrentur, sic enim imitaremur ineptias cujusdam Sophistae, qui Herculem laudaturus omnes natalium fabulas et labores ejus diendo inutiliter persequebatur. omnes enim sciebant ejus actiones legatur hic Aristot. III. Rhetor. c. 16. quod Dictum de uno, valet de omnibus, quorum facta in recenti hominum memoria

moria sunt. Sic genus deliberativum prorsus narrationem repudiat, quia futuris nemo narrare solet, nec quisquam ferme ignorat id de quo consulit Oratorem. vid. Aristot. III. Rhetor. c. 16. Eodem pacto in Iudiciali non semper et ubig narratione opus est, velut cum iis, qui audiunt, ante nota sunt omnia, aut eadem nobis exponenda essent quae adversarius jam narravit, aut non de re sed de jure quaeritur vid. omnino Cicer. I. de Invent. c. 21. Tandem ne perorationem quidem omnes omnino causae desiderant, praesertim eam ubi totos commotionum animi fontes aperire jubent Rhetores, quoniam non ea est rerum omnium natura, ut motum recipiant, nec reservandi interdum epilogi, sed pertotam orationem diffundendi affectus. Quae cum ita sint, facile intelligitur Oratori secum et cum causa deliberandum cogitandumq esse, qui ordo rerum sit futurus, quae copulatio, ubi assumendum proemium, ubi contra omittendum, ubi utendum narratione, ubi nihil exponendum, ubi perorationis memoria judicum reficienda et animi movendi sint. mutantur enim pleraq causis, temporibus, occasione et necessitate, legatur hic Quintil. II. Instit. c. 13.

CAPUT I.

De Exordio.

§ 185. Exordii finis est duplex &c. Initium orationis Latine principium vel exordium dicitur, melius a Graecis προοιμιον ab οἰμος via ad oratoriam facultatem elegantер traducto secundum Quintilian. IV: 1. Exordium est principium orationis per quod animus audientis apparatur ad audiendum definiente Cicer. I. de Invent. c. 15. Apparatur autem animus duplici modo. sive ad rei intelligentiam, sive ad auscultandi promtam voluntatem. Rei intelligendae causa ita exordiri debet Orator, ut audientes genus causae ante diligenter cognoscant, ut ipse aditus ad rem faciat illustres, animosq prima aggressione occupet, unde prima quasi cognitio dicitur Ciceroni II. de Orat. c. 78. Auscultationis vero praemuniendae gratia continuo eum, qui audit permulcere atq allicere debet, unde exordium ὠδοποιικὸς vocatur Aristot. III. Rhetor. c. 14. Id autem fieri tribus maxime rebus potest, si audientem fecerimus benivolum, attentum, docilem vid. ruxus Cicero I. de Invent. c. 15. Primum ad benivolentiam sane conciliandam fumenda esse principia judicat Cicero in Partit. Orat. c. 5. et quidem verecunda non elatis incensa verbis, sed acuta sententiis. Attentos autem reddemus, si ipsem suscitamus nos de re nova, magna, inusitata necessaria verba facturos esse. Et tandem docites habere poterimus, si breviter et dilucide summam rei, de qua cognosci debeat indicaverimus, inspiciatur rursus Aristot. loco antea laudato III. Rhetor. c. 14. et Cicero l. a. l. c. 16. Uter autem finis sive cognitionis sive commendationis maxime Oratori sectandus sit rei ipsius, temporum et loci opportunitas aburde docebit.

§ 186. Cum prior ille finis &c. Si prioris habenda est finis ratio ab ipsis rei quam tractaturus est causis exordiatur Orator, et quidem principii argumentum

mentum e latissimo doctrinarum fundo petat, tanquam si vir doctus aut eruditus pro concione laudandus sit eam doctrinae vel literarum partem in qua excelluit, vel saltem opinione hominum excellere visus est, ab utilitate et praestantia commendet ostendatq quantum ejus incrementis jacturam attulerit ejusmodi hominis mors. Iten si principis memoria sit dicendo recolenda in ea virtutis laude qua potissimum eminuit deferibenda extollendaq versetur, sive is clementia et bonitate, sive justitia, sive artibus pacis aut belli inter alias clarissimus fuerit, ubi tamen maximopere cavendum est. 1o ne omnes hujus argumenti locos effundas, degustranda enim haec sunt proocmio non consumenda ut recte ait Quintil. IV: 1. sed breviter, perspicue tamen summam causae exponat, ut quid expectare possint audientes, planum fiat. Deinde ne easdem res dicat in principio quas res in ipso orationis cursu eum conficere oportet. Unde etiam duplex nascitur fructus. alter ut exordium tanquam membrum aliquod orationis corpori annexum esse videatur. alter ut audientes, cum intellexerint quid polliceatur Orator parati sint audire reliquam dictionem atq hoc genus exordii maxime cadit in hujusmodi orationes quales hodie de quibusdam artium et doctrinarum capitibus recitari solent.

§ 187. Ubi autem orationi &c. Quodsi altera proocmii finis potior habebitur, quo nobis viam ad audientium studia munisse solemus, principia ducuntur necesse est vel ex rebus ipsis vel e personis vel denig e loco et tempore. Ex rebus ipsis si ex causae interioribus argumentis ea potissimum in usum principii, quae ad intelligentiam communem spectant delibabimus. Deinde si ea, quae ad animi motum valent seligemus, ostendendo causam nostram esse honestam, laudabilem, gloriosam, utilem, jucundam, adversarii contra turpem, invidiae plenam, noxiam, intolerabilem. A personis, et quidem nostra, de nostris rebus et officiis sine arrogantia dicemus, si offenderimus nos ad causam orandam non malo animo vel ambitione, vel odio, sed officio rei publicae aliusve similis negotii causa adductos esse. A rei vel adversarii persona si illius dignitatem, meritа, lenitatem commendabimus, hujus vero asperos mores, spurcos et malignos in odium et contentionem adducemus. Ab audientium denig persona benivolentia captabitur, si quam honesta eorum judicii et auctoritatis expectatio fit sine assentatione tamen significabitur. Illustre exemplum est in Cicer. Orat. pro Domo c. 1. id autem non fit orando et obsecrando ut attente bonaq cum venia verba audiant, ut linguis animisq faveant et quae sunt aliae ad genus formulae ad nauseam usq hodie decantatae, quibus Academici et Scholastici, si Dis placet, Oratores tantopere sibi placent, sed verecundiae amoris et prudentiae signis aliisq verborum et sententiarum ornamentis, quibus tacita inest commendatio non tam praeceptis quam singularum causarum sensu aestimanda. optime Cicero, agendo, inquit, efficitur melius quam rogando II. de Orat. c. 79. E loco tandem et tempore benivolentiam comparare licebit. quod genus si recte tractetur multum suavitatis et momenti affert. exemplum de loco est apud Cicer. pro

Dejotaro

Dejotaro c. 2. cum intra domesticos parietes Caesaris Dejotarum defendere caepisset. et de tempore apud eundem in princip. Orat. pro Caelio. ubi. mirabile ait nonnullis videri posse, quod quo tempore dies festi et ludi publici essent, omniag negotia forensia intermitterentur, eo tamen ipso hoc judicium exerceretur.

§ 188. Omnino praecepta &c. Interim tam varia et multiplex est bene exordiendi ratio, ut si quis totam se praeceptis definire et complecti posse credidderit. aut arrogans aut ineptus sit. inredibiliter enim haec mutantur, primum pro tribus causarum generibus ut ostendit Aristot. III. Rhetor. c. 14 et 15. 2do pro diversis rerum formis, velut causa honesta, admirabili, humili et obscura secundum Cicer. 1. de Invent. c. 15, 16. tandem pro varietate locorum, temporum et personarum. Neq enim nisi his omnibus diligenter perspectis scire possumus qualem nobis audientium animum effiicere expediat. videndi vero ait Quintil. qui velut leges omnibus prooemiis dederunt, ut intra quatuor sensus terminarentur Lib. IV: c. 1. quibus verbis ad graeculorum Rhetorum, omne exordium in quatuor partes describentium disciplinam respexit. Scio equidem hanc partitionem a Vossio Lib. III c. 2. sect. 5. defendi. sed qui sibi persuadet oratoriae facultatis popularitatem libero quodam spiritu regi non angustis dialecticorum legibus illigari, is sane Quintiliani magis quam Vossii judicium sequetur. quare singulis consilium ex propria causae ratione nascetur. nam rei natura quemq docebit, quid primum quid secundum dicendum sit. Illud solum in universum cavere nos oportet, ne, dum ingeniosi et acuti esse velimus, pratertenues et tortuosas quasdam inventiunculas nihil laudis auferamus, frigidiq evadamus. Diligenter autem legenda sunt veterum Oratorum exordia unde non modo quam apta et nexa sint cum orationibus suis, sed etiam quomodo similibus in causis inveniri et tractari debeant intelligemus. In pulcherrimis autem censetur exordium Orationis Cicer. pro Milon. cujus artificium singulari disputatiuncula ob oculos posuit Vossius Lib. III c. 2. sect. 8.

§ 189. Optimum genus exordii &c. Ut autem clarius appareat, quid sectandum fugiendumq in eo scribendi et dicendi genere esset, opportune sane Rhetor vestrer virtutes et vitia exordiorum his residuis tribus paragr. descripsit. Primaria omniumq praestantissima virtus est exordii necessitudo quaedam temporis, loci, dicentisq et audientium personis accommodata, indeq nata simplicitas. primum enim uti multa multis causarum partibus sunt communia: ita nihil in quoq melius dicitur, quam quod aeq bene dici alibi non possit, ut ait Quintil. Lib. IV: 2. Deinde multum gratiae exordio est, quod splendidae apparationis et artificiosae diligentiae expers a natura causae, temporis et loci materiam trahit. hoc enim ipsum non solum non compositum domi, sed ibi atq e re natum esse videtur, sed etiam sive simplicitate sua facilitateq si-

den

dem augebit. quare inepti sunt, qui ejusmodi orationis initium afferunt ut si ad rem et propositum veniendum sit, audientes admoneant se nunc de hoc argumento h. e. themate locuturos esse, quos homines ridet Cicer. II. de Orat. c. 80.

§ 190. Illa quoq; virtus &c. Illa vero non minor virtus est altera, scilicet arctissima copulatio, cum reliqua oratione connexum ita sit, inquit Cicero l. a. l. principium consequenti orationi ut non tanquam citharoedi, procemium, aut Cicero affictum aliquod, sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur. Si enim dicendi exordium non extrinsecus aliunde quaesitum sed ex ipsis visceribus quasi causae depromtum est, fieri non potest quin egregie praeludat ceteris habeatq; cui commodissime jungi consequentia possint. Semper enim oratoriae facultatis intelligentibus frigidae ne dicam pueriles rursus sunt illae transgressionum formulae, quarum subsidio praestigiisq; abusi Declamatores etiam alienissima nectere solent, quales formulae jam olim a Quintil. sibilo explosae sunt Lib. IV. Instit. c. 2. Cum vero exordium ita copulatum et nexum cum oratione esse debeat, ut transitus ad reliquas partes nec abruptus nec plane obscurus, sed naturalis sit; controversia existit Rhetorum quorundam, utrum ante scribendam orationem, an scripta demum oratione de exordio cogitare nos oporteat. Sententia Rhetorum scinditur in partes. Si Quintilianum audimus, minime probandi hi, qui novissime scribendum exordium putant. Nam, ait, ut conferri materiam omnem oportet, et quid quoq; loco sit opus constare debet antequam dicere aut scribere ordiamur: ita incipiendum est ab iis, quae prima sunt III. Instit. c. 9. vel sic tamen, quoniam ipse Fabius monet omnem materiam ante inspiciendam et conferendam esse, quam exordium scribere incipiamus, non poenitet me illorum esse sententiae, qui postremo elaborandum esse censent. Ecquando enim totius materiae series clarius cernit, diligentius inspici et aptius contendi potest quam oratione absoluta? quam obrem perfectissimum eloquentiae exemplar Ciceronem sequi malim, qui his omnibus rebus consideratis, tum demq; id, quod primum est dicendum postremum solebat cogitare quo uteretur exordio. nam si quando id primum invenire voluit, nullum ipsi occurrebat nisi aut exile aut nugatorium aut vulgare atq; commune. Legatur ipse Cicero II. de Orat. c. 77. e quibus verbis Ciceronis simul apparet quaenam sint vitiosa exordia.

§ 191. Vitiosa exordia sunt &c. Primum in vitiosis numerantur, si nimis longa h. e. quae pluribus verbis aut sententiis ultra quam satis est producuntur. Nam oportet ut aedibus atq; templis vestibula et additus: sic causis principia proportione rerum praeponere, ut elegantèr loquitur Cicero II. de Orat. c. 79. Secundo loco, communia sunt vitiosa exordia h. e. quae non penitus ex ea causa, quae tum agitur, efflorescunt, sed nihilominus in hanc, quam in alias omnes orationes possunt transferri. 3o loco longe accessit

ceſsita et nimis arguta, quae ex cauſa quidem, ſed per multos viarum anfractus ſententiarum, nimis acutarum ludibria ducuntur, adeo ut quomodo in mentem venerint dicenti divinare et ſuſpicari non poſsis. Oratio enim in proœmio ſimplici et elaboratae ſimilis eſse debet, totaq; plerumq; videbitur ſubinde cujus initium nihil praeparati habuiſse manifeſtum eſt vid. Quintil. IV Inſtit. c. 1. Tandem vulgaria et nimis trita, quae in plures cauſas poſsunt accommodari, ut convenire videantur, ne magnis quidem Oratoribus ſubinde evitata. De pleriſq; exordiorum vitiis legatur Majſ. Herenn. 1. Rhetor. c. 7. et Quintil. Lib. IV: 1.

CAPUT II.

De Narratione.

§ 192. Exordio ſubjicitur &c. Rei natura jubet fierig frequentiſsime ſolet ut aditu ad audientium animos facto, cauſa, de qua dicturus ſit Orator explicetur. Ea eſt narratio, exordii ut plurimum comes, pro argumenti tamen rationibus, nec enim ſemper nec ubiq; neceſsariam eſse narrationem ad paragraphum indicare nemini. Narratio autem eſt rerum geſtarum aut perinde ut geſtarum utilis ad perſuadendum expoſitio definiente Mag. Herenn. 1. Rhet. c. 2. et Quintil. IV: 2. Cujus vim utilitatemq; nemo ſolis orationum limitibus coercere aut metiri auſit, ea enim latius patet fructuſq; ſemina in omne dicendi ſcribendiq; genus diffundit. Idcirco recte atq; ordine fecit Rhetor Noſter, cum bene narrandi praecepta traditurus primum universa et communia. Deinde huic narrationis loco, qui quaſi ſedes et fundamentum conſtituendae in oratione fidei eſt, propria deſcriberet. Tria enim ſunt narrationum genera: unum genus eſt, quod ingenii Doctrinae et jucunditatis cauſa peritus cum exercitatione dicitur et ſcribitur more Hiſtoricorum et Poëtarum: alterum eſt, in quo digreſsio aliqua extra cauſam vel illuſtrationis vel delectationis non alienae ab eo negotio, de quo agitur, vel amplificationis gratia interponitur. tertium genus eſt vincendi cauſam, in quo omnis ratio et ſumma futurae diſceptationis continetur; idq; ipſum eſt, quo poſt exordium oratores uti ſolent pid. omnino Mag. Herenn. 1. Rhetor. c. 8.

§ 193. Omnibus narrationibus &c. Omnibus narrandi formis communes hae quatuor ſunt leges, ut narratio primum ſit dilucida, evidens, plana et aperta. Deinde brevis, plena tamen et abſoluta, tum ſuavis et ornata. tandem ut ait Rhetor Noſter probabilis h. e. credibilis. In numero quidem harum virtutum non uſque quaq; conveniunt antiqui Rhetores, nec duas duntaxat ſumentes, perſpicuitatem et fidem, excluſa, ſaltem praeterita brevitate, velut Ariſtot. III. Rhetor. c. 16. nec tres habere res narrationem exiſtimantes, ut brevis, ut dilucida, ut verisimilis ſit, velut Mag. Herenn. 1. Rhetor. c. 9. et pleriq; Scriptores, maxime qui ſunt ab Iſocrate, auctore Quintil. Lib. IV: 2. nec

plura

plura ejus signa bonitatis recensentes, tanquam Cicero, efficiendum est inquiens ut narrationes ad suos fines spectent i. e. ut planae sint, ut breves, ut evidentes, ut credibiles, ut moderatae, ut cum dignitate in Topic. c. 26. Vel sic tamen, quia planae et evidentes uno possunt perspicuitatis genere includi, et quae fiunt cum dignitate, ad credibiles pertinent, malim equidem quadripartita illa distributione uti, praesertim cum idem Cicero praeter tria narrationis ornamenta h. e. perspicuitatem, brevitatem et verisimilitudinem etiam suavitatem commendet in Orat. Partit. c. 9. Sunt praeterea, qui probabilitatis signum tertio, quod supra positum est, narrationis generi proprium esse censent, sed nemo non videt, verisimilitudinis dotem, quam maxime etiam spectari in iis rebus, quae etsi non gestae, tamen ut gestae vel ut potuisse geri videbuntur describendae sunt.

§ 194. Perspicua igitur erit &c. Ut igitur lucida et aperta efficiatur narratio, unde quid et quo modo actum fuerit, perspicue cognoscas duarum rerum intelligentia et exercitatione opus est. Primo ut series temporum et rerum conservetur. deinde non interrupte narretur vid. omnino Cicero II. de Orat. c. 80. Seriem temporum sequemur, si ut quidq. primum gestum erit, ita primum exponetur, vel si nihil perturbate nihilq. contorte dicemus. Minus interrupte narrabimus, si nihil quod ad rem pertineat, praeterietur. ad rem autem pertinent non monumenta solum temporum, hominum et locorum, sed etiam causae et consilia. unde non modo quid actum aut dictum sit, sed etiam quomodo intelligas. Quam incorrupti judicii laudem, etsi multis hodie per mediocris operae visum, nemo assequetur, nisi optimorum Historicorum, tanquam Livii lectione ingenium acuet vitamq. et naturam hominum diligenter consideraverit. Multum quoq. perspicuitatem adjuvat dilucidum orationis genus, si scilicet utare verbis usitatis, propriis et circumscriptione quadam conclusa dispositis, non tamen exquisitis et ab usu remotis, uno verbo, si fusa, tracta, et cum lenitate quadam aequabili oratione sine sententiarum aculeis rem persequaris. Hinc recte Cicero auctor est, ut narrationes sint credibiles, nec historico sed prope quotidiano sermone explicatae dilucide in Orat. c. 36. Sed de hoc genere dictum est in praeceptis elocutionis ad paragr. 310. et 404. Interea legi potest Cicero II. de Orat. c. 80. (: quod caput inprimis lectu est dignissimum :)

§ 195. Brevitas narrandi &c. Altero bonae narrationis virtus est brevitas. duo saltem praecipua narrandi lumina sumit Quintil. Lib. II: 4. atq. in his primo loco brevitatem ponit. Est autem brevitas, oratio ipsis tantummodo rebus et verbis necessariis expedita secundum finitionem Mag. Herenn. IV. Rhetor. c. 54. Hanc vero tribus potissimum rebus consequemur. 1º Si unde necesse est, inde initium sumemus, nec ab ultimo repetemus, et si semel unum-

quidq.

quidq dicetur, nec ab eo, in quo proxime desitum erit, deinceps incipietur. 2o Si non longius, quam quod scitu opus est in narrando procedetur, et si nullam aliam in rem transibitur. 3o Si cujus rei satis erit summam dixisse, ejus partes non dicentur, nam saepe satis est quod factum sit dicere, non, ut enarres quemadmodum sit factum. item si ex eo, quod dictum sit, id quod dictum non sit intelligatur; totum hoc, quod nec obest nec adjuvat, praeteribitur. legere sane operae pretium est idoneos harum praeceptionum auctores Aristotel. III. Rhetor. c. 16. et Quintil. Lib. IV. Instit. c. 2. Eas profecto vias qui tenuerit brevitati studuisse jure censebitur. Sed haec quidem praecepta spectans duntaxat ad brevitatem rerum. quomodo vero breves esse debeamus verbis et dictione alio loco traditum est ad parags. 416 et 417.

§ 196. Sed in hoc magna ꝛc. In toto autem brevitatis negotio duos potissimum errores scopulos vitandos esse censeo. Primus est, ne brevitatem incisorum frequentia multisq interpunctionum clausulis metiamur. nam multos quidem imitatio brevitatis decipit, ut cum se breves putent esse, longissimi sint, cum dent operam ut res multas breviter dicant, non ut omnino paucas res dicant et non plures quam necesse sit, ut eleganter loquitur Cicero I. de Invent. c. 20. quod ineptum saepe de brevitate copiave judicium castigavit Rhetor Noster loco ante indicato parags. 416 — 419. Alter est, ne existimemus illas, quas dedi brevitatis leges adeo certas et immobiles esse, ut nullum consilio et prudentiae locum relinquant. Esto enim id generatim verum est, non longius, quam quod scitu opus est, necessario in narrando procedere nos oportere: tamen illud ipsum, quantum satis et opus est pro causarum et temporum varietate quasdam vicissitudines patitur. interdum enim brevitas obest, non solum quod obscuritatem gignit, sed etiam quod hanc ipsam virtutem, quae narrationis est maxima, scilicet ut aperta suisq velut numeris absoluta sit, tollit. legi hic eruditus debet Cicero II. de Orat. c. 80. et Quintil. IV. Instit. c. 2.

§ 197. Suavitas in narrando ꝛc. Ut dilucide et breviter narremus est necessarium, sed assumimus quoq suavitatem. Non enim omnes res eodem modo exponere convenit. aliae simplicitatem amant, aliae festivitatem distinctam causis et interpunctam sententiis desiderant, aliae denique ornari amplificarique volunt. Primum narrationis genus Rhetor noster simples, alterum instructum novo et inusitato veteribus Rhetoribus, sed eleganti tamen adjuncto a domo et navi instructa translato sumto. 3tium ornatum vocat, qua in distributione videtur Hermogenem secutus esse, qui narrationem divisit in ἁπλην ἐγκατασκευον et ἐυσκατασκευον. Per simplex intelligit hujusmodi narrandi genus, ubi satis nobis esse videtur, quod factum est, id nude sine ullo ornamentorum apparatu pronunciare. quam rationem tenere solent Oratores eo in loco, qui post exordium narrandi proprius est. item commentariorum

scriptores

Scriptores, qui in eo differunt ab Annalium Scriptoribus, quod unam narrandi laudem esse putant brevitatem et mendacii fugam. Illorum contra Narratio neq; arida prorsus et jejuna neq; ornata est. Instructum appellat ubi Historicus paullulum severigit majoremq; sonum vocis expositioni addit junctis causarum atq; hominum formis, quod genus commune est Oratoribus et Scriptoribus rerum, quos hodie vulgo pragmaticos jactant h. e. qui vel interfuerunt rebus gestis, vel consilia primum, deinde acta, postea eventus orationis quodam flumine et varietate describunt. vid. Cicero II. de Orat. c. 15. Ornatum denig vocat cui interponuntur motus animorum, exitus inopinati, admirationes aliaq ad amplificationem exaggerationemq idonea.

§ 198. Simplici narrationi &c Simplicitatis sensum triplex suavitas commendat. primum illa ipsa, ut Graecis dicitur ἀφέλεια quasi mornata oratio, uti enim mulieres esse dicuntur nonnullae inornatae, quas id ipsum decerat: sic haec subtilis oratio etiam incomta delectat secundum Cicer. in Orat. c. 23. Hac orationis subtilitate fit quiddam quo sit venustius, sed non ut appareat, removetur enim omnis insignis ornatus quasi margaritarum ne calamistri quidem adhibentur, elegantia modo et munditia remanet. Tale narrationis genus purum et incorruptum in Caesare et Corn. Nepote laudatur. Caesaris saltem Comment. valde probavit Cicero, tanquam nudos, rectos et venustos omni ornatu orationis tanquam veste detracto. vid. Cicero in Brut. c. 75. Altera suavitas est in urbanitate, quae non tam singulis verborum et locutionum articulis inhaeret, quam per integram narrationem ut succus et sanguis per totum corpus aequabiliter diffunditur, tantoq minus praeceptis explicari potest, quanto magis haec interiore animi sensu et judicio cernitur. Nullam sane in tota antiquitate venustiorem sine fuco et pigmentis novi narrationem quam Ciceronis de Canio equite Romano III. de offic. c. 14. Imo hujusmodi expositionis genus, quod narrationem efficit cohaerentem, lenem aequabiliterq fluentem, uti vulgo ne sentitur quidem a rudibus artium: ita ad consequendum longe est difficillimum. Non sentire quidem vulgus hodie apparet inde, quoniam maluns Senecam, Plinium, Curtium legere, quam ut detectentur inimitabili suavitate Caesaris et Ciceronis. Indicio autem est etiam nonnullos e veteribus hanc scribendi sanitatem non potuisse assequi, quoniam nonnulli putarunt gratam rem se facturos esse, ineptis si Commentarios Caesaris calamistris inurerent, teste Cicer. in Brut. c. 75.

§ 199. Instructa narratio &c Uti vero simplex narratio Commentariis ferme propria est: sic instructa potissimum historiae convenit. Est enim haec plus aliquanto ornatior, quam illa eleganti et leni jucunditate dilucida quandoquidem illa altera fit ut rem intelligamus, altera vero ut videre videamur

deamur ut loquitur Cicero in Partit. Orat. c. 6. Proinde hoc narrationis genus non solum simplicis urbanitatem servat; sed lumina etiam sententiarum adhibet, quae non sunt vehementer illustria. Quarum sententiarum duae sunt formae: altera, qua rei alicujus, dicti, facti, decreti ratio e causis animi et naturae humanae redditur. altera, qua ordo, conditio, persona hominum motus animi quo quis ad agendum, dicendum, patiendum impulsus fuerit, non tam describitur, quam pingitur. Id sententiarum genus Gallo-Francorum ore des reflexions appellatum, cum aspergitur narrationi ad ornatum et suavitatem maxime valet. Utriusq; hujus sententiarum generis clarissima cernitur species in venustissima pugnae trigeminorum fratrum narratione, apud Liv. I: 25. Consederant, inquit, utrinq; pro castris duo exercitus; hoc dicere erat necessitatis. quod sequitur est suavitatis: periculi magis praesentis quam curae expertes. ecce quomodo paucis verbis hinc Romanorum illinc Albanorum spectantium conditionem, fratum et sollicitudinem exprimat. deinde rationem reddit: quippe imperium agebatur in paucorum manibus positum. In toto illo loco mira est festivitas et gratia, quapropter recte atq; ordine fecit Car. Rollin. in Method. Docend. et Discend. Bon. Liter. cum hujus ipsius narrationis primum veluti ossa, deinceps succum et carnem ad vivum resecaret Tom. II. p. 141 §77.

§ 200. Ornata denig narratio est De Ornata denig narratio valentiorum est nervorum. res enim altius tollit, argumentationes acervatim frequentat, apte digreditur, morum, sermonum opinionum, affectuum una complexione orationem devincit. quae magnificentia etsi neq; in omnes causas cadit, nec semper utilis est: tamen interdum cum ad jucunditatem tum ad fidem plurimum valet. Sic in narratione argumentari quidem proprie non licet, sed interdum expedit inserere expositioni defensionem, veluti Cicero fecit pro Ligar. c. 1. satis enim fuerat indicare: Q. Ligarius nullo se implicari negotio passus est, sed abfuit, domum spectans et ad suos redire cupiens. Ita negant multi in narratione utendum esse affectibus, sed plurimum tamen refert quae sit natura ejus rei quam exponimus. In leviorib momenti negotiis narratio utiq non implenda est animi commotione sed ubi res major erit, et atrocia invidiose, tristia miserabiliter dicere licebit, ut recte judicat Quintil. IV: 2. Etenim vero cum Cicero flagitiosissimi Verris singularem nequitiam commemoraret, sive casum Philodami I. Verrin. c. 30. sive indignitatem verborum et crucis, qua is Savium civem Romanum affecerat, referret V. Verrin. c. 62. totam expositionem incendit invidia et in omnes affectus se effudit. Sic in Philipp. 2da ubi Antonii vitae cursum, quid ipse in domo sua impure, quid in magistratibus impie, quid in rem publicam nefarie fecerit, veris coloribus depingeret, quot quantis affectibus non utitur? Hinc etiam 2da inter Philippicas ceteris praestantior olim habita est, tanquam Juvenali Satyr. X. v. 124. Ceterum de hoc ornatu et affectuum usu in narratione legi omnino meretur Quintil. l. a. l. Lib. IV: 2.

§ 201.

§ 201. Probabilitas narrationis &c Quarta narrationis cujuscunq; virtus est probabilitas, sive ut Quintiliano II. Instit. c. 5. fidem dicitur fides. Verisimilis autem fit narratio, si quod gestum esse dicis, quemadmodum actum sit exponas, vel ut clarius loquar, si personis, si temporibus, si locis ea quae narrabuntur consentient; si personarum dignitates servabuntur, si tempus idoneum, si locus opportunus ad eandem rem de qua narratur fuisse ostendetur; si denig omnia ad hominum opinionem, naturam, morem vitaeq; fidem accommodabuntur vid. Mag. Herenn. I. Rhetor. c. 9. Inde efficitur narratio morata, quam nonnulli veterum Rhetores inprimis commendant veluti Aristot. III. Rhetor. c. 16. ἠθικὴν, inquiens, δεῖ τὴν διηγησιν.

§ 202. In narrationibus autem &c In tertio autem cujus supra memini narrationis genere, quod orationis reliqua fons est, considerare nos oportet primum ut probationum narrationumq; quaedam velut semina spargantur, verum sic ut narrationem esse meminerimus non probationem. deinde ne aut cum obsit ratio, aut cum nihil prosit, interponatur. Omnia enim accommodanda sunt ad causae utilitatem. proinde quae laedunt, aut leviter attingere, aut verbis elevare, aut membratim partes rei gestae narrationem ut Martianus Capella vocat Lib. V p. 181. partili in causam dispergere, aut denig quae poterunt salva verisimilitudinis lege praeteriri, si minimum tota sint molesta, amputare conveniet vid. rursus Quintil. l. l. Lib. IV: 2. a paragr. 101 sqq. Omnium narrationis virtutum, cum earum, quae cunctis narrandi generibus, tum quae huic sigillatim narrationis loco propriae sunt, praestantissimam imaginem exhibet oratio pro Milon. c. 9. 10. quo exemplo etiam utitur Quintil. Lib. IV: 2.

CAPUT III.

De Proposit. et Partitione.

§ 203. Sequitur, ut, de quo &c Narratione absoluta, res quae in disceptationem venit, aut de qua agendum erat, causa, in medium afferri solebant, quod fiebat vel propositione vel partitione vel utraq; simul. Propositio nihil aliud est, nisi ipsa quaestio sive consultatio estq; duplicis generis vel finita vel infinita, finitam Graeci ὑποθεσιν, Latini causam, infinitam Graeci θεσιν Latini propositum vocant. Finita est cum de re certis in personis, temporibus, actionibus negotiis locata dicitur, qualis cernitur in tribus maxime causarum generibus, laudationis, deliberationis et judicii sed maxime in duobus novissimis, nam in demonstrativo saepissime orator tenetur argumentum a persona hominis avocare et ad universi generis laudem traducere. Infinita vero est, quae nullam habet temporum et personarum designationem, sed in rei universae intelligentia versatur. ambae

quaestiones

quaestiones etiam fine sua differunt. nam in proposito sive thesi finis est fides, in causa non fides solum sed etiam motus et persuadendi vis legatur Cicero in Orat. Partit. c. 3.

§ 204. Est porro omnis &c Quaestionum autem, quibus res infinitae continentur duo sunt genera: unum cognitionis, alterum actionis. cognitionis sunt hae, quarum finis est scientia. Cognitionis quaestiones tripartitae sunt, cum an sit? aut quid sit? aut quale sit quaeritur. Prima earum forma, quam veteres conjecturam vocant, rursus in tres partes distributa est, quarum una est cum quaeritur sitne vel fuerit quid. altera unde ortum sit. tertia quae id causa effecit, sit necne sit, tanquam an plures sint orbes, quos animantia incolunt, an dialectica quaedam generalis sit: quam nego veram esse posse; hic communis, sive omnium Doctrinarum et artium revera rectrix sit, an haec tantum in opinione vulgi sit. Unde autem sit ortum, ut cum quaeritur utrum eloquentiae aut poetices facultatem natura an disciplina consequamur. Item a natura jus profectum sit an ab aliqua conditione hominum et pactione. Tandem causa efficiens, sit. ut cum quaeritur, quibus bonis efficiatur virtus, aut quibus rebus beati esse possimus. Porro in altero genere cum quid sit quaeritur, vel notio explicanda est vel proprietas vel divisio vel partitio vel descriptio proferenda. Notio, quam Graeci ἔννοιαν vocant est ante percepta cujusq; formae cognitio enodationis indigens vid. Cicer. in Topic. c. 5. et 7. adeoq; hujus est loci, si quaeritur an vera libertas sit legum servitus? an soli beati sint sapientes. Porro proprietas; an solus Doctrinarum coelestium et divinarum assensus aeternum beatos efficiat? in hominem solum cadat an etiam in belua aegritudo. Divisio formas omnes complectitur quae sub eo genere sunt vid. Cicero in Topic. c. 5. et 7. veluti: tres duntaxat civitatis formae sint an quatuor? aut; Septemne artes liberales sint, ut nugati sunt seriores aevi Grammatici, tanquam Martianus Capella, an plures pauciores ve? Partitio est, cum res ea, quae proposita est, quasi in suas partes abire jubetur, tanquam, si quis jus civile dicat id esse, quod in legibus Senatus consultis, edictis magistratuum, responsis prudentum, principum placitis consistit. Tandem descriptio, quam Graeci χαρακτῆρα vocant, qualis v. c. sit justus et liberalis, qualis assentator, qualis patriae proditor, qualis avarus ceteraq; ejusdem generis in quibus naturam et vitam dicendo persequimur. In tertio genere cum quaeritur quale quid sit, aut simpliciter aut comparate quaeritur. Simpliciter de expetendo fugiendoq; de eo quod honestum an turpe est v. c. expetendaene sint divitiae, aequumne sit ulcisci acceptam ab aliis injuriam, honestumne sit pro patria mori. Comparationum autem duo sunt genera: unum de eodem et alio. alterum de majore et minore (: fons eloquentiae :) De eodem et alio, ut, si quaeratur quid intersit inter veram et simulatam amicitiam, inter magistratus h. e. potestatem et tyrannidem h. e. imperium, quid intersit inter veram et circulatoriam eruditionem. de majori et minori. ut, si quaeratur v. c. Literarum Graecarum Latinarumq; scien-

ria

tia plus difficultatis habeat, quam aliae doctrinae, quae sunt de pane lucrando.

§ 205. Quaestiones actionis &c. Actionis quaestiones sunt quae vel ad officium vel ad motum animi sive gignendum sive sedandum planeq; tollendum pertinent. Ad officium sic, cum quaeritur sitne sapientis ad rem publicam accedere, liceatne impotentis tyranni jugum excutere, aut cultus Christiani disciplinam armis defendere et quae sunt aliae id genus quaestiones. Ad movendos animos, cum fiunt cohortationes ad defendendam rempubliam, ad gloriam et ad laudem, quo spectant querelae, incitationes, miserationes, reliquae. Ad sedationem facit oratio metum exipiens, exultantem laetitiam comprimens, alias omnino aegritudines abstergens, de qua omni quaestionum natura et varietate legatur Cicero III. de Orat. c. 29 et 30.

§ 206. Jam, non est dubitandum &c. E duobus autem quaestionum generibus, quin certum et finitum proprie sit oratoriae facultatis nos non dubitare sinunt ipsi causarum fines, sive enim laudes vituperesve, sive suadendo dissuadendove consilium des, sive defendas accusesve semper subsit necesse est res vel persona hominis alligata temporibus et locis; alioquin non in agendo, sed unice in contemplando disserendove versaremur. Atqui vetus illa dicendi ratio non tam rerum generatim intelligendarum, quam recte et probabiliter agendarum magistra fuit. Neq; Oratores olim in iis rebus, quae in mediis doctrinis retrusae aut abditae erant consumserunt eloquentiam, sed in perspiciendis singularum rerum publice regendarum rationibus. Hinc nullam videbimus priscorum Oratorum Graeciae et Latii orationem, quae infinitam generis sine tempore et sine persona explicuerit quaestionem, praeterquam apud Sophistas. propositorum contra disputationes de scribendis legibus, de civitatibus instituendis, de frangendis cupiditatibus, de conformandis hominum moribus philosophantibus et declamatoribus reliquerunt veteres, at cum eloquentia e foro, e curia, e comitiis exulasse videretur multis praesertim hodie duntaxat de themate quodam, ut loquuntur generali solliciti sint, novum sibi ipsi studium laudis peperererunt, aut, in iis rebus, quae repertae sunt, ut hominum mentes vel ad humanitatem et virtutem, vel doctrinae cultum fingerentur, omnem eloquentiae facultatem collocarunt.

§ 207. Illud quoq; faciendum &c. Interprete non indiget.

§ 208. Illud certe, qui in hoc &c. Etsi iis, qui de rebus universis ex obscuriori aliqua scientia depromtis et assumtis disserere volent, concesserо nonnulla in his esse, quae composite, ornate, copioseq; tractari possint: illud tamen Oratori videndum esse arbitror. primum ut eadem, de quibus philosophi aliiq; artium scriptores tenui quodam exsanguiq; sermone disputant, hic perdisserte cum omni gravitate et jucunditate dicat. Deinde, ut quarum rerum nimia subtilitas sit, earum disceptatio plane circumcidatur, sed ut declaret, se non tam in scholastico opere jactatum, sed ad dicendum omni humanitatis parte perfectum accessisse. Nonnullas certe quaestiones praesertim si ex instituto tractentur, ad Oratoris facultatem non pertinere facile omnes intelligere existimo, tanquam si quis integram ora-

tionem

tionem haberet de immortalitate animi, de telluris forma, de astrorum inter se cohaerentia, aut de abstrusis quibusdam Metaphysices capitibus. Quodsi vero nonnullas quaestiones Oratori adjungere volumus, ea lex omnino observanda erit, ut sit circumscripta modicis regionibus, ut in causa prudenter intexatur, seu de his ipsis rebus Systematicorum, quos vocant, more disserat, sed simpliciter, copiose, ornate, splendide, sine ulla serie disceptationum et sine jejuna concertatione verborum dicat. In dicendo enim vitium vel maximum est a vulgari genere orationis, atq; a consuetudine communis sensus abhorrere. In artium scriptoribus finis est, ut id quod dicitur verum esse et certum videatur. in his, tametsi hoc quoq; videri oportet, tamen finis est amplitudo et rerum opinabilium persuasio, quae est verissima praeceptio Ciceronis 1. de Orat. c. 3.

§ 209. Sunt, qui praecipiant &c Ubi rem proposueris, auctores sunt nonnulli Rhetores, ut verbum illud, quod causam facit breviter definiatur, quod consilium, si in causis finitis sequendum esse judicant, perquam puerliter ineptire videntur Antonio apud Ciceron. l. a Rhet. laud. Nec immerito. quandoquidem nemo facile ita hebes et stupidus est, quin rem praesentem, de qua disceptatur, quomodo vocanda aut quo verbo appellanda sit, intelligat. deinde, quoniam definitio in ejusmodi causis reprehenso verbo uno vel addito vel ademto saepe extorqueri potest e manibus, tum quod genere ipso doctrinam redolet exercitationemq; paene Scholasticam. Sin definitionem in controversiis infinitis necessariam esse putant, rectissime sane praecipiunt in hujusmodi quaestionibus. Id jubet ratio et doctrina ut vis et propria potestas ejus rei, quam proponas, sic exprimatur ut neq; absit quicquam nec supersit et redundet. nisi enim inter eos, qui disceptant, convenit quid sit illud, de quo ambigitur, neq; recte disseri neq; unquam ad exitum perveniri potest. A quo tamen genere, ne hae quidem cautiones abesse debent: primum ne definiamus ea, quorum notio minime involuta, sed in omnium sensu et opinione fixa est, veluti cum quaeritur, quid sit ars, quid doctrina, quid lex, quid libertas, quid civitas, aliaq id genus vocabula. Sic enim non tam patefactio rerum opertarum, quam apertarum occultatio fieret. Deinde ne id faciamus tam presse et anguste, quam in philosophorum aliorumq doctorum hominum disputationibus fieri solet, sed explanatius et uberius et ad popularem intelligentiam accommodatius, legatur Cicero in Orat. c. 33.

§ 210. Partitio est enumeratio &c Partitio est, per quam aperimus quid conveniat, quid in controversia sit, et per quam exponimus quibus de rebus simus dicturi vid. Cicero 1. de Invent. c. 22. Ejus virtutes veterum Rhetorum disciplina numerantur tres. 1ma perspicuitas et brevitas. 2da absolutio et 3a loco panditas. Primum esse debet perspicua, quid enim magis inimicum oratoris fidei erit, quam id esse obscurum, quod eam ob causam adhibetur ne cetera sint obscura. simul brevis esse debet, ut nisi necessarium nullum intrudatur verbum. 2da enumeratio absoluta et perfecta sit necesse est, per quam omnia, quae incidunt in causam nostram genera, nullo praetermisso, aut serius postea, quod vitiosissimum est, illato, amplectamur, tanquam si quis dixeris, se demonstraturum esse duas res ad male-

ficium

ficium impellere, luxuriam et avaritiam. intercedere aliquis possit, quidnam amor quid ambitio, quid ira, quid vindicta quid imperii cupiditas quid denig aliâ permulta. proinde cavere nos oportet ne quid in partitione desit vid. Quintil. Lib. IV: 5. Hinc 3to loco paucitas in partitione servetur, quod fit duobus modis: primum, si genera rerum non permisce cum formis implicentur, h. e. si cujus genus posueris, ejus simul formam aliquam, tanquam dissimilem in eadem partitione ponimus, tanquam si quis dixerit se offensurum propter cupiditatem et audaciam et avaritiam adversariorum omnia incommoda in rem publicam redundasse, is omnino non intellexerit in partitione sua, expositio genere formas etiam et partes generis admisciisse. Nam genus omnium libidinum est cupiditas, ejus vero partes audacia et avaritia. Deinde huc quoq pertinet ad paucitatem, ne plura, quam satis est demonstratu. ros nos esse dicamus, hoc modo: ostendam adversarium quod arguo, et potuisse facere et voluisse et fecisse, nam profecto fecisse ostendere satis erat. Hujus in partiendo vitii Cicero minime reus est, cum loco a Rhetore laudato, ostendam, inquit, causam non fuisse cur a praetore postulares ut bona Quintii possideres. deinde, ex edicto te possidere non potuisse. postremo non possedisse. recte enim ait Rhetor illud juris hoc facti est. Neq audiendi sunt, qui aliam Ciceronis pro Cluent. c. 4. partitionem damnant, qua se dicturum esse promisit 1um neminem unquam majoribus criminibus et gravioribus testibus in judicium vocatum, quam Oppianicum. deinde, de eo praejudicia esse facta ab ipsis judicibus. tandem judicium illud pecunia esse tentatum, quia si probari posset, quod est tertium, nihil necesse fuerit dicere priora. Verumtamen hanc partitionem jure defendit Gesnerus ad Quintil. IV: 5. An vero paucitas tum existat cum non ultra tres propositiones extendas partitionem ut Magist. Herem. vult 1. Rhetor. c. 10. jure dubitari potest. Neq tamen probanda nimia partiendi diligentia, qua essi saepe in digitos dilecta adversarios obruerit eluserit q Hortensius secund. Divinat. Cicer. in Caecil. c. 14. tamen harum rerum intelligentes frustra pervertit. Ceterum de virtutibus et vitiis partitionis legatur Cicero 1. de Invent. c. 22 et 23.

§. 27. Ceterum non una th. Interim nec eadem ubiq et in omnibus causis partiendi ratio est, nec partitionis officium subtili Dialecticorum tenuitate se regi patitur apud quos divisio a partitione discrepat, cum haec fit totius in partes, illa generis in formas. non enim semper totum, quod ita proprie dicitur in partes dissecamus. Igitur alia partitio est cum genus in suas formas, totum in partes abire jubemus, tanquam si diximus cum Cicer. pro Leg. Manil. c. 10. Ego sic existimo, inquit, in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Deinde alia ratio est, cum praecipua, quibus velut fundamentis nititur disceptatio, argumenta in quasdam summas colligimus, ut Cicero fecit in Orat. pro Muren. c. 5. intelligo, inquiens, judices, tres totius accusationis partes fuisse, et earum unam in

reprehens.

reprehenſione vitae, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam. Tum alia eſt, quae rem ſemovens a re utrang absolvit ratione ſubjecta, veluti ſic contendere quis potuerit: hic ſervus, quem tibi vindicas, aut verna tuus eſt, aut emtus, aut donatus, aut teſtamento relictus, aut ex hoſte captus, ubi remotis prioribus ſupererit, alienus, apud Mag. Terent. IV. Rhetor. c.40. Rurſus alia eſt cum rei alicujus adjuncta et attributiones enumeramus, veluti utilem eſſe, honeſtam, gloriosam, procliwem et contra. ita partitur Cicero VII. Philipp. c.3. Cur igitur, inquiens, pacem nolo, quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt, quae tria dum explico, peto a vobis P. C. ut eadem benignitate, qua ſoletis verba mea audiatis. Item cum cauſas et effecta ponimus, tanquam ſi quis mali ſe fontem aperturum, quot quantaeq inde calamitates provenerint ſe oſtenſurum dixerit. Tandem cum ad viam et rationem diſtribuendarum quaeſtionum cognitionis an ſit? quid ſit? quale ſit? duo triave ſeligimus capita in quibus verſetur oratio.

§ 212. Neq vero ſemper &c Certa igitur et definita partitionis lex nulla eſt, neq eſſe poteſt, ſequitur enim naturam rerum et quaeſtionum varietatem. id vero meminiſſe generatim oportebit, ut quo ordine rem exponendam nobis ſumemus, eodem etiam partitionem perſequamur, ne quid poſterius priori inferatur. ita Simo in Andr. apud Terent. breviter et commode partitur, quae libertum ſuum cognoſcere velit, eo pacto, inquiens, et gnati vitam, et conſilium meum cognoſces et quid facere in hac re te velim Act. I: Scen. I. vs 22. Et quemadmodum narravit, ita etiam in partitione propoſuit.

§ 213. Sunt etiam nonnullae res &c Sunt etiam cauſae, in quibus ſimplex quiddam agitur, quod tamen perraro poteſt accidere. ubi fere inſipidum foret, quod natura ſingulare eſt, id in fructu quaſi concidere. Hinc videmus Ciceronem in orationibus quas in Senatu vel ad populum habuit, veluti in quatuor Catilinariis, ad Quirites poſt reditum, poſt reditum in Senatu aliiſq partitione uſum non fuiſſe. Ad quam omittendae partitionis neceſſitatem referunt nonnulli eas propoſitiones, quas argumentis et probationibus ſubjectis confirmare ſatis ſit; non admodum ſubtiliter. Nam in his quoq non unus eſt demonſtrandi modus. aliae duplices, aliae multiplices, quae ſi ex pluribus colliguntur in partitionem cadunt. Sunt quoq orationis argumenta ubi ſeries temporum per ſe ſatis indicat quid dicturi ſimus, adeoq in his diſtributione non ſit opus ad exemplum Plinii minoris, cui Trajanum per tempora laudanti conceptis verbis partitione non fuit opus.

§ 214. Eſt porro partitio &c Interdum accidit ut partitio propoſitionis vicaria exiſtat. Etenim ſi in propoſitione aliud exponi non poſſit quam in partitione, amant ſane veteres narrationi ſtatim ſubjicere partitionem, non ſolum ut cauſa ſit lucidior, ſed aliquando etiam ut magis moveat. Natura

autem sua partitio nihil aliud est, nisi propositio multiplex, unde partitio subinde apud veteres propositionis vim tuetur dicimusq; etiam per partitionem proponere, hinc etiam nonnulli in praecipiendo omiserunt propositionem, sive quod propositionem existimarent omnis confirmationis initium sive narrationis finem cui subjungatur quaedam argumentorum collectio vid. Quintil. IV. Inst. c. 4. Ita etiam Cicero breviter exposito rerum ordini statim partitionem subjecit in Orat. Manil. loco a Rhetore laudato c. 2.

CAPUT IV.

De Confirmatione & Refutatione.

§ 215. Confirmatio inest in argumentis &c Tota spes vincendi ratioq; persvadendi posita est in confirmatione et refutatione ut ait Mag. Herenn. I. Rhetor. c. 10. quod quam verum sit ipsa disceptationis natura et utilitas docent. Nisi enim firmamenta causae suggeras, quibus tua stet, contraria vero labatur omne quicquid superstruxeris, corruet vid. Cicero II. de Orat. c. 81. Neq; tamen omnia, quae in promtu sunt argumenta ponere licet, sed quomodo ex illa copia discrete et electe digerenda sint, exponendum erit.

§ 216. Non igitur omnibus &c Quod spectat ad dilectum, videndum inprimis erit, ut argumenta primum sint firma et confessa, dubiis enim dubia probari qui poterunt? deinde ut perspicua et popularia, neq; enim firmitas prosit, nisi hominum mente et sensibus perspiciatur; nec perspicuitas gratiam habet, si ratio subsit levis et enervata. Potentissima firmissimaq; argumenta sunt in quibus necessaria et indubitata est ratio, cujus generis probationes vulgo Graecis dicebantur γραμμικαι ἀποδειξεις secundum Quintil. V. Instit. c. 10. Minus firma sunt credibilia, quae tamen si recte adhibeantur vim necessariorum aequant, si autem desint necessaria, utendum erit verisimilibus.

§ 217. Argumenta popularia sunt &c Argumenta popularia Rhetor Noster vocat quae non e rebus arte et scientia comprehensis aut ab opinionis arbitrio sejunctis, sed penitus perspectis planeq; vulgo cognitis ducuntur, oratoriaeq; simul facultatis ubertatem et copiam recipiunt. Quae cum sint ad vulgarem concionis sensum accommodatissima facile apparet quid prudentem ea in re Oratorem sequi, quid fugere oporteat.

§ 218, 219. Videndum etiam est &c Maxime igitur cavendum est, ne res manifestas argumentis praesertim subtilibus approbemus. Etenim in rebus apertis argumentari tam sit stultum quam in clarissimum Solem mortale lumen inferre ut ait Quintil. V: 12. Eamq; argumentandi vanitatem in Philosophis olim non uno loco reprehendit Aristoteles, velut II. Rhetor. c. 22. in primis III. Rhetor. c. 17. quorum nonnullos ait syllogismo concludere notiora et certiora, quam ea, quae sunt in propositione assumtioneve.

§ 220

§ 220. Neq; vero in congerendis &c Neq; omnibus semper argumentis onerandus est is, qui audit, quoniam causam suspectam facit argumentorum multitudo, et quae fortasis statim dubitationem sustulissent frequentius conglobata ipsis praeparationibus fidem perdunt vid. Quintil V: 12.

§ 221. Post delectum &c Dilectu argumentorum habito, curandum est ut iis recte et probabiliter utamur. Ac primum quidem multa occurrunt argumenta, quae vel in dicendo profutura videntur, vel leviora sunt, si quid habent argumenti utilissima firmissimaq; reddi debent etiam atq; etiam premendo dilatando efferendo et quasi sub aspectum adducendo. Sin levia sunt nonnunquam ejusmodi ut insit in iis aliquid vitii neq; tanti sint, ut prodesse videantur tota ex oratione removeri debent, non enim numerare argumenta, sed expendere convenit judice Cicer. II. de Orat. c. 76.

§ 222. Ordo deniq; argumentorum &c Quod ad seriem collocationemq; argumentorum spectat, quaesitum olim fuit potentissima argumenta primo ponenda sint loco an novissimo? an partita primo summoq; ut militari ducum disciplina fortissimos quosq; militum in principio, imbelles in media acie, rursus fortissimos post principia collocantium apud Homer. loco a Rhetore laudato; quae ratio quoq; Romanis placuit teste Veget. III. de Re Milit. c. 16. An deniq; a minimis inchoandum ut progressio fiat ad majora? vid. Quintil V: 12. quam tamen ordinandi rationem non necessariam esse censet Rhetor noster, cui quoad necessitatis vim facile assentior, nihil enim certi et definiti est in collocandi modo, quoniam omnia pro unius cujusq; causae natura ordinari debent, unde Ciceroni filio quaerenti semperne ordinem collocandi quem volumus, tenere possimus, respondet pater Cicero: non sane. nam audientium aures moderantur Oratori prudenti et provido in Orat. Partit. c. 5. Verum hic non tam de necessitate collocationis quam de utilitate quaeritur. Jam nihil puto aptius et commodius esse quam potentissima prima et summa poni. illa enim ad credendum praeparabunt audientes. haec ad judicandum impellent. Atq; talis locorum dispositio tanquam instructa militum acies facillime in dicendo, sicut illa in pugnando parare poterit victoriam.

§ 223. Necessitatem tamen &c. Non indiget interpretatione.

§ 224. Est autem refutatio &c Confutatio sive reprehensio est contrariorum locorum dissolutio, per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur et infirmatur secundum Cicer. I. de Invent. c. 42. Sunt autem refutationis duo genera vel intuitu materiae argumentorum, vel sedis suae et loci. Utrobiq; rursus dupliciter accipitur. Nam quoad argumenta, vel dissolvuntur ea, quae ab adversariis reapse proposita sunt, vel occupantur quadam praesensione et conjectura, quae in contrariam partem afferri posse videbuntur. Utriusq; hujus formae similis est conditio. quoad locum vero et sedem alia porro est refutatio, quae in universa dominatur oratione, ex quo genere non paucae sunt

Ciceroni

Ciceronis Orationes veluti pro Caecina, pro Cluent. pro Murena, pro Flacco, pro Archia aliae ad eum modum. Altera, in parte orationis posita est, cui in causa depositionis sextus vulgo assignatur locus et haec est refutatio accusationis, in qua proprie criminis depulsio. Graecis στάσις. Latinis status appellata ubi primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio, atq etiam in deliberationibus laudationibusq idem existunt status ut egregie ostendit Cicero in Topic. c. 25.

§ 225. Et singula quidem &c Haec per se intelliguntur.

§ 226. Quod autem ad &c Quoniam dixeram duplicem esse refutationis formam, alteram, qua argumenta reapse allata diluimus, alteram, qua dubitationibus adhuc suborturis quadam ante capta praemunitione occurrimus, utramq h. l. nonnullis circumscribere legibus licebit. Primum igitur quod ad adversario dictum quomodo dissolvi deberet non difficiles habet explicatus. nam in iis eadem servanda est via, quam adversarius tenuit, nec quicquam silentio praetereundum ne causae nostrae diffidere, aut omnia nos non fortiter invadere posse videamur, firmamenta vero ad fidem posita aut obscuranda aut digressionibus obruenda sunt judica et magistro Cicer. in Partit. Orat. c. 5. Interim si palam falsa erunt negare satis erit, si minus credibilia bene nonnunquam contemnentur, luculentum ejus rei exemplum est apud Cicer. pro Rosc. Amerc. 29.

§ 227. Quodsi refutatio &c Quodsi confutatio instituitur ex argumentis contrariis et argumentorum allatorum reprehensione, ardiendum est a dissolutione. Deinde quae nostra pars habet valentissima subjicere expediet. aliter se res habet, si ipsi actores sumus. qua in causa primum nostra confirmanda sunt. deinde quae nostris opponuntur refellenda. Sed si respondemus, prius incipiendum est a refutatione legatur hoc loco Quintil. V. Instit. c. 13. Cujus sane praeceptionis auctoritatem ipse secutus est Cicero variis in orationibus, tanquam in Orat. pro Muren. c. 5 et 6. pro Sulla a cap. 7. fqq. pro Coelio a cap. 3. aliisq in defensionibus inprimis pro Milon. c. 3.

§ 228. In argumentis autem &c Si denique adversarius multa congloberit argumenta, ut cum singula nihil possent, multitudine possent. haec nos singula adoriri ratio jubet, ut eorum levitatem videant audientes. quam prudentiae legem saepius passim inculcat Quintil. veluti IV. Instit. c. 2. quale artificium noverat Hortensius qui teste Cicer. Divinat. in Caecil. c. 14. accusationis partes ita dividere solebat ut singulas causae rationes in digitis suis constitueret. Quomodo autem argumenta adversarii indissolubilia declinari deberent, docebit maximus Sophista Juliani Augusti praeceptor in Libello Rhetor. Gr. et Lat. edito a Fabricio in Bibl. Graec. Vol. IX p. 570.

§ 229. Ubi porro &c Verumtamen si refellenda sunt, quae responsurum esse adversarium divinamus, cavendum nobis est ne in iis, quae contra dici possint ambitiose vani simus. Neq stultum nobis adversarium fingamus, neq

adversario

adversario sed nobis ipsi respondere videamur. Sic enim vulgatissimo illi apud antiquos versui locus foret: Non male respondit sed prius male rogaverat. Ridiculum ergo est multa comminisci, quae ex adverso moneri possint. id enim facit suspectum oratorem ejusq causae fidem detrahit.

CAPUT V.

De Peroratione.

§ 230. Perorationis, quae est vt Peroratio Graecis ἐπίλογος ἀπὸ τὸ ἐπιλέγειν concludere, absolvitur duplici ratione. vel in rebus vel in commotionibus animi posita est. prior pars enumerationem rerum Graecis ἀνακεφαλαίωσιν vel ἀναμνησιν. altera amplificationem continet secundum Aristot. III. Rhetoric. c. 19. et Quintil. VI: 1. Enumeratio sive ἀνακεφαλαίωσις est per quam res dispersae et diffuse dictae unum in locum coguntur et reminiscendi causa unum velut sub aspectum subjiciuntur. brevi enim repetitione memoria rerum reficitur et vis dictis conciliari solet. Legendus hic est Martianus Capella Libr. V. p. m. 186. edit. Grotii.

§ 231. Habet tamen haec ratio vt Oratorem igitur oportebit omnia sigillatim colligere et commonere quibus de rebus verba fecerit. In qua enumeratione tria sunt potissimum vitia fugienda. 1um ne rem, quae sua natura simplex et brevis fuit denuo exponat, qua repetitione nihil est odiosius judice Quintil. VI: 1. deinde ne ostentatio memoriae suscepta videantur esse puerilis. non enim totam orationem, sed ejus memoriam duntaxat redintegrare debet, recte sane Aristot. ὁπως ἐπιλογος αλλα μη λογος ἡ III. Rhetor. c. 19. tertio ne semper uno eodemq modo enumerationem hanc tractemus. postquam vero quis in memoriam reduxerit orationis suae locos omnes, quaerere ab audientibus licebit, num quid sit quod sibi velle debeant demonstrari. licebit quoq ultro dubitare num aliquid diligentiam nostram fugerit et quid his dissve responsurus sit adversarius vid. Cicero I. de Invent. c. 52. Cujus artificii clarissima extant exempla apud Cicer. V. Verrin. c. 52 et 72 item I. Agrar. c. 7 sqq.

§ 232. Sed multo illustrior &c. Multo sane illustrior est haec perorationis pars, quae maxime habet amplificationem. quantumvis enim in ipsa orationis serie nonnunquam ad amplificandum opportunitas detur: tamen hic in perorando proprius est locus, cujus finis debet is esse, ut aut perturbentur audientes aut tranquillentur vid. Cicer. in Orat. Partit. c. 15. In quo tamen negotio maxima cum prudentia versandum est. non enim omnia dicendi argumenta motus animi recipiunt, neq cujuslibet dicentis est affectibus praesertim incitatis et vehementibus uti, et primum quidem ineptissimum est ejusmodi rebus affectum advocare, quas sedato animo exponere possis et quae cur ita sint artium finibus demonstrantur, quales sunt cognitionis quaestiones a Declamatoribus

xibus Academicis toties vulgo tractatae. in ejusmodi enim argumentis dicendi faces et gravitatis causa adhibendae dictionis et sententiae figurae locum plane non habent, atq ejusmodi Oratores similes sunt illis, qui Herculis personam et cothurnos bimulis infantibus accommodare velint.

§ 233. Jam porro non omnes &c Praeterea non omnibus a natura datum est, ut facile moveantur. alii enim celeriter ardent et flagrant. alii contra admoto etiam igne frigescunt, nec nisi lentissime ad omne genus affectuum sive voluptatis sive tristitiae incendi possunt. Quoniam igitur animi imago est vultus index actionum totq significationes et commutationes possint effici, quot sunt animi motus, uniuscujusq exit videre an effusam hanc contentionem sui moderari possit, ne aut ineptus aut durus videatur. Nam haec res affectuum nihil medii habet, sed vel tacitam audientium suffragationem aut risum merebitur. legi omnino debet Quintil. VI: 1.

§ 234. 235. Qui deinde &c Interim multis aliis in causis, praesertim finitis necessarios esse affectus nemo diffitebitur, si aliter obtineri vera et justa et in commune, profutura non possint. Quales vero sint affectus, quos vel inflammare vel restinguere debeat Orator non opus est praecipere, quoniam supra in Cap. de Affect. et quidem ad paragr. 88 sqq. de his actum est. Nemo certe tanta est tarditate et imbecillitate ingenii, quin sua sponte sentiat in causis materum aut odium incitari aut miserationem nasci, in rebus jucundis et in demonstrationis argumento audientes amoris laetitiae aemulationisq sensu esse implendos.

PARTIS I.

Sectio III.

De Inventione Speciali

§ 236. Satis dictum esset &c Postquam actum est de omni inventionis genere. Rhetor poterat antiquorum praeceptis institutisq acquiescere: sed cum multi hodie aut nolint, aut nox possint communem inveniendi rationem ad singula Orationum et Epistolarum genera transferre saepeq audiatur illa vox quaerentium, sequid scribant nescire si v. c. de nuptiis alicui aut novis honoribus, de auspicum capessendae rei publicae gratulari, aut dolere casum amici, aut discedentem votis prosequi aut mortuum laudare, aut consolari, aut pro beneficiis gratias agere, aut simili aliquo officio defungi velint. Propter hanc ingeniorum tarditatem, prope necessarium putatur ostendere, quomodo in singularibus ejusmodi dicendi seriebendiq formis res rationesq inveniri et collocari debeant. Hoc quidem praeceptorum genus totum abest a veterum Rhetorum Libris, omisit certe Aristoteles in aureis Rhetor. Libris, non meminit Cicero, nihil horum attigit Quintilianus, nec alii operae quicquam in ea re posuerunt praeter solum Dionys. Halic. et Demetrium Περὶ τῆς ἑρμηνείας illum in sua τεχνῃ pag. 33. Operum, hunc nonnihil diser-

rentem

rentem de Epistolis Sect. 231 pag. 130. Rhetorum Galei. Feraciter quidem ejus generis institutionibus fuit nostra et patrum aetas, sed non usquequaq; scribentium judicio accuratione; feliciter. Vossius quidem Lib. III. Inst. Orat. integrum caput habet de speciali Inventione, ubi subtiliter quidem et acute disputavit, non tamen ea sermonis popularitate, quam nostri Literarum fines desiderant, quo quidem nomine eloquentiae candidatis non parum proderit Rhetoris Nostri disputatio, secundum quem disserendum nobis primum erit de Epistolis, tanquam compendiis justarum orationum, tum de praecipuis orationum generibus.

CAPUT I.

De Epistolis.

§ 237. Epistolae inventae sunt &c Epistolarum multa esse genera nemo ignorat, sed duo primaria sunt certissima; genera, quorum causa inventa res ipsa est. 1um ut certiores faceremus absentes, si quid esset quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset. Eadem quoq; distributio placuit Aldo Manutio in elegantissima ad Muretum Epistola, patris ejus Pauli Manutii Comment. ad Cicer. l. ad Div. Ep. 1m inserta.

§ 238. Primum igitur &c Primum igitur genus Epistolarum totum fit narrando ubi quales sint vel res nostrae vel alienae, vel privatae vel publicae ostendimus, idq; sua natura est simplex et unum. Alterum vero genus, quod humanitatis benevolentiae aut alicujus omnino officii scaenem habet multo latius patet, tamq; multiplex et varium est, quam ipsae animi, voluntatis, affectuum, personarum temporumq; formae et modi. Interim duplicem rursus materiam complecti potest, aut enim quo simus adversus aliquem animo declarat reiq; perficiendae cupiditatem exponit. Ex priori fonte manant epistolae, quibus amorem, humanitatem alia id genus animi signa testificamur. Ex altero ducuntur hae epistolae, quibus commendamus, hortamur, suademus dissuademus.

§ 239. Est etiam genus &c Praeter illa duo praecipua epistolarum genera aliud etiam et nunc et olim hominum eruditorum consuetudine usitatum est, quo vel artium bonarum quaedam capita illustrantur vel de quibusdam Philosophiae vitae officiis rebusq; agendis disseritur. Tales fuerunt olim quaestiones Epistolicae Varronis a Grammaticis subinde tanquam Gellio XIV. Noct. Attic. c. 7. et aliis laudatae, item nonullae Ciceronis epistolae, a Jo. Burchardo Majo ad Morhoff. de Ratione Scribend. Epist. Libellum indicatae pag. 455. atq; ad eum modum homines eruditi multas ejusmodi epistolas scripserunt, in quibus maximi momenti sunt hujus A. Manutii Quaesita per Epist. Venet. 1576. octavo, Thom. Reinesii, J. Lipsii et aliorum a Burmanno Majore editae V. Codic. Interim tamen documento etiam sint Platonis Epistolae XIII. ad Dionysium, Dionem, Dionis propinquos alioq; a p. m. 705. Operum: tum Isocratis Rhetoris epistolae VIII. ad Philippum, Alexandrum aliosq; principes et magistratus scriptae a p. m. 792. Operum, etiam epistolarum fundum apud antiquos rerum agendarum praeceptis non incultum et

sterilem

sterilem manisse. vel sit tamen uti illae epistolae, quae eruditionis ostentanda causa scribuntur, non tam epistolae sunt quam disputationes, de quibus Dialecticorum magis est quam Rhetorum praecipere: ita has potius in numero orationum quam epistolarum habeas, adeoq; ejusmodi epistolae potius theses sunt quam hypotheses, sive causae in certis locorum, hominum, temporum rationibus collocatae. Peccant autem vehementer illi Rhetoricis magistelli, qui tirones scribere jubent epistolas, in quibus nulla est ejus qui scribit, nec illius ad quem scribitur certa et definita personae ratio. Sic enim adolescentes afacient languido, frigido ne dicam inepto et puerili scribendi genere. Id quale sit exemplo quodam demonstrare conabor. Diu nempe quaesitum est utrum Graeci et Romani vulgari nostra literarum scriptura usi fuerint an secus. quae quidem concertatio nemini debet nugax et levis videri. ab hac enim pendet chartarum et monumentorum verisimilis aestimatio idoneaq; aetatis qua quidq; memoriae mandatum esse videtur judicatio. Fuerunt fane, qui opinarentur veteribus ignoratam certe insuetam fuisse minutarum literarum in scribendo rationem. Sed jure negari potest ostendi loca Scriptorum, quae huic sententiae patrocinari videntur, nihil probasse. Jam cum Christianus Falkerus in Quaestion. Roman. p. 65. minutarum literarum apud Romanos usum defenderit, eo tempore, quo Falkeri Libellus in lucem prodiret, vixerit Bernald. Montefalco, qui edita Palaeographia Graeca (: quantivis pretii Liber:) de vetustis literarum Graecarum formis praeclare meruerat, fingi potest Montefalconem lectis Falkeri Quaest. Roman. ad Falkerum ipsum literas scripsisse, in quibus eum doceret, minime sibi credibile videri Graecos Romanosq; aliis in pingendo literis usos esse quam capitalibus et quadratis. Neq; sequi, ut si, quidius longarum literarum et grandium meminerit III. Trist. Eleg. III. ∝ 72. propterea vi contrariorum minutae, quales hodie scribendo effingere solemus, literae locum habuerint. Neq; aliter literae minutae apud Plaut. in Bacchid. IV: 9: 66. interpretandae sunt, nisi mensurae capitalium literarum modo et ratione.

§ 240. Neq; epistolarum &c Primum epistolarum genus, quod totum narratione constat, etsi non aliis videtur praeceptis indigere, quam quae supra de narrandi ratione tradita sunt: tamen singularibus quibusdam legum quasi vinculis se adstringi patietur. In eo quippe, uti in omni alio epistolarum genere duae sunt observandae leges: prima est ipsorum hominum, deinceps rerum quas narramus. Quoad personas hominum animadvertendum est, aut privatos homines scribere ad privatos de rebus aut publicis aut privatis, cujusmodi multae sunt Ciceronis ad Divers. in primis ad Attic. quarum epistolarum indicem dabit Morhof. de Ratione Conscrib. Epist. p. 196. et Majus ad eundem p. 462. aut privatos saltem dignitate et gradu minores referre quid ad magistratus,

regem

regem, principemve, quales etiam sunt Ciceronianae toto paene Lib. XV. ad Div. ab Epist. 1. sqq. in quibus ad Consules, praetores, tribunos de Bello Parthico quae cognoverat, perscripsit. tales etiam sunt Plinii minoris ad Trajanum Augustum Lib. toto X^{us}. Quod ad res attinet expositionis ratio postulat ut sit brevis ut clara et perspicua ut denig verisimilis et concludetur epistola amoris testificatione et officiorum nostrorum commemoratione. Ex tanto epistolarum narratoriarum Ciceronis cumulo optimae mihi semper visae sunt Ciceronis 1. ad Div. Epist. 1. 2. 4. quibus addatur perbrevis epistola, sed qua nihil magis est Atticum 11. ad Div. Ep. 2. de morte patris Curionis, qua nihil in hoc genere suavius et elegantius.

Fingamus v. c. Annibalem proelio ad Cannas feliciter commisso, literas ad Senatum et populum Carthagin. dedisse. in earum principio excusare poterit literarum silentium, deos, quod antea tabellarii Carthaginem tuto commeare non potuerint, obsessis undiquag a milite Romano Italiae viis. tum quod summo victoriae bono procerum animos exhilarare, quam itinerum ultro citroq factorum sterili commemoratione obtundere maluerit. narrasse deinceps ut ad Trebiam manus cum hoste conseruerit, ut in interiorem Italiam penetrans mox huc mox illuc prout frumenti copia supperet castra mutaverit, ut tandem ad ignobilem vicum Cannas castra statuerit, sperans fore, ut si Romani dimicationis periculum fugerent, terga militis sui afflaret Vulturnus ventus, in adversum vero hostem omnes pulveris nubes effunderet. legatur hic Livius Lib. XXII c. 43. fortunam consilio respondisse, Consulem Varronem eduxisse copias, magno utring viribus pugnatum esse, perfractos Romanorum ordines terga vertisse. 40000. peditum 2000 equitum caesa esse. in his Paulum Consulem. quaestores 80. Senatores et Magistratus. multa praeterea millia hominum capta esse, maxime afflictam esse rem Romanam, seq nunc spem habere, non modo urbem, sed totam Italiam in ditionem Poenorum accipiendi. hujus vero memorabilis victoriae testes esse tres et dimidium modulos annulorum aureorum, quos detrahi equitibus jusserit, perferendosq mandarit Magoni fratri suo, ex quo plura cognituri sint. vid. hic et legatur imprimis Livius Lib. XXIII: 11, 12. Quae omnia apte ex persona Hannibalis et dignitate Senatus Carthag. exponi debent.

§ 241. Ejus autem generis & Major praecipiendi difficultas est in altero epistolarum genere, quod sensus voluntatisq nostrae scaenem continet, quoniam ejus ratio non solum multiplex esse solet, sed etiam internis animi motibus, ingenio et lectione aptius se regi patitur, quam ulla arte. Omnes tamen duabus praecipue legibus reguntur. Prima est, ut rem et summam, sive gratus animus, sive laetitia, sive dolor testificandus sit ingeniose et venuste demonstremus. Altera ut rei propositae fidem faciamus. Has duas leges, si quis alius inter Latinos, solus certe Cicero tenuit. in manus sumantur v.c. illa quam modo ante lauda-

vi

vi Epist. 2de Lib. II. Lib. III: II. V: 12. 16. pluresq; id genus aliae. Certus sum nihil in his scriptum esse, quod illarum legum non cultissimum exemplar referat.

§ 242. Quod igitur primum &c Cum autem dico rem esse proponendam gravi aliqua et venusta sententia, hoc effici volo ut is, ad quem scribitur epistola statim intelligat verba scribentis congruere cum prolixa ejus voluntate, nullamq; subesse rationem cur quis suspicetur aliud scribentem in pectore clausum, aliud in calamo promtum habuisse, sed ut credat plenum ejus animum fuisse amoris, benivolentiae, studii, doloris, querelarum, sollicitudinis, indignationis. Idem enim finis est talis epistolae qualis orationis, scilicet ut persvadeas, quomodo autem persvaseris, nisi eam affectionis imaginem scribendo expresseris, qualem in legentis animo nasci velis. Sententia igitur gravi, tanquam leni tormento expugnanda et occupanda est omnis dubitatio.

§ 244. Venustas deniq; &c Neq; gravitas tantum in proponendo emineat, sed etiam venustas et novitas accedere debet, ex necessitate gravitas est, ex voluntate lepos. Illic cernuntur manifestae animi non fucati notae, veritatis imitatrices. hic severitatem jucunditate temperat. Omnes autem natura capimur quodam oblectationis sensu et salibus Atticis.

§ 245. Etiam novitas quaedam &c Venustatis germana est novitas. quandam enim et legendi et audiendi cupiditatem hominibus injiciant res novae inusitatae, inopinatae neminem fugit. multum quoq; ingenii opinionem auget indicatq; apparationem et artificiosam scribentis diligentiam, scilicet nos serio navasse operam ut res illi persvadeatur.

§ 246. Age vero exempla &c Sane exemplorum abunde sunt apud Cicer. tanquam VII. ad Divers. Epist. 15. 16. XIII: 1. 38. quod ipsum est a Rhetore Nostro commemoratum, ex quibus omnibus mira venustas et proponendi novitas apparet. Hinc etiam ratio intelligitur cur Cicero scribat XIII. ad Div. Epist. 15. genere novo usus sum literarum, ut intelligeres commendationem meam non vulgarem fuisse.

§ 247. Sed fides maxime fit &c Neq; tamen sufficit rem ipsam cum animi sensu declarare, fides etiam facienda est, quod fit rationibus reddendis, propter quas nobis gaudendum, dolendum, petendum, commendandum sit atq; hae ipsae causae quo graviores erunt eo magis ad credendum impellent nos vere et ex animi sententia scripsisse. Plurimum sane dignitatis habebit causarum amplificatio, tanquam in gratiis agendis, si beneficiorum singularem praestantiam, magnitudinem, multitudinem, fructus contentione cum aliis facta ostendemus demonstrabimusq; eum vel primum vel solum, vel inter paucos praecipuum extitisse, qui beneficium contulerit, datum esse ultro, non precibus impetratum, non temere sed consilio certo datum cum aliquo periculo aut offensione vel obscurius iniquorum

quorum, vel dissimulanter iratorum, datum a viro magno summaeq; auctoritatis, datum cito, opportune, saepe, ita denig datum esse ut fructus diuturni et stabiles esse videantur. Hunc locum magnitudinis mirabiliter assecutus est Cicero, cum in epist. ad Lentulum saepius vocabulo pietatis uteretur. Etsi enim totum id quod Deo summeq necessariis debemus proprie pietatis nomine venit: tamen hoc ipsum observantiae suae erga Lentulum tribuit, quoniam alijs in locis, tanquam pro Sextio c. 69. eum parentem, Deum, salutem vitae suae, fortunae, memoriae nominis praedicavit. Ex quo genere est illud 1. ad Div. Epist. 1. Ego omni officio ac potius pietate erga te &c. Quo quis autem alteri magis se debere fatetur aucta beneficiorum magnitudine, eo magis grati animi, amoris studijq abundantiam declarat. Neq enim credibile est, eum, qui nullam partem meritorum non modo referendi, sed ne cogitandi quidem gratia se consecuturum speret, officii immemorem esse, aut non ita affectum videri posse, qualem beneficiorum auctor maxime cupiat. hinc Cicero post amplificationem causarum saepe rationem ita concludit: quod tuum judicium nisi mea summa benivolentia erga te omnibusq meritis comprobaro, ipse me hominem non putabo XI ad Div. Epist. 29.

§ 248—251. In causis autem &c. In excogitandis autem fidei faciendae rationibus non est quod multi laborent. Duplex enim semper scribentis animo obversari debet animadversio: vel rei, cujus causa laudamus, gratulamur, gratias agimus, aliquid dedicamus, hortamur, suademus dissuademusq, petimus, commendamus, consolamur et accusamus. vel personae, seu nostrae seu illius, ad quem scribitur, seu hujus pro quo scribimus, quae tamen tertia persona hominis non ubiq obtinet, sed in his duntaxat epistolarum argumentis, ubi vel pro alio gratias agimus vel petimus vel commendamus vel defendimus instituenda erit. Id vero praecipue tenendum ut caveamus, ne quid aliud scribatur, nisi quod et personae scribentis et ejus ad quem mittuntur literae, atq temporibus respondeat. Unde apparet vehementer falli ejusmodi scioli magistros, si argumenta epistolarum proponant communia nullisq vel personis hominum vel temporibus circumscripta, dq supra jam obiter monui ad parags. 239. Num Rhetor Noster parags. 250. hujusmodi rationibus confirmavit, ut optandum sit ineptum illud et scholasticum scribendi cacoethes aliquando defertum ixi. Ut autem hujus duplicis connubii, quo res sive causae cum personis scribentium et ejus ad quem scribitur copulari debet vinculum, religiose in posterum servetur; varia nunc genera epistolarum persequar et quomodo rerum et personarum ratio haberi debeat breviter demonstrabo. Ita non solum praecepti Rhetoris Nostri parags. 248, 49. et 51. satisfaciam sed etiam quid in exemplis sequi nos oporteat, intelligetur. Ulti autem in toto orationum genere, sic in epistolis nullum argumentum excogitari potest, quod non tribus illis dicendi generibus aptissime comprehendi possit.

Generis

Generis autem Demonstrativi sunt 1ma epistolae laudatoriae, in quibus iidem ferme loci rerum inveniendarum obtinent, quales supra Part. I. Sect. I. Cap. V. indicavi. laudatio enim petitur a tribus potissimum bonis vel animi vel corporis vel fortunae. ab animi dotibus laudatur alicujus optima indoles, ingenium, doctrina, eruditio, integritas vitae, justitia, prudentia, reliquae virtutes. A corpore laudari possunt formae pulcritudo, robur, valetudo similia ejus generis. 3a a fortunae bonis celebrantur natales, majorum gloria, educatio, patria, honores, census et divitiae. Quae quidem omnia cuig scribenti in mentem venire possunt facilia, sunt inventu, sed in tractando et suis quaeq personis hominum accommodando non admodum proclivia. Quae quidem prudentia non aliunde conformatur nisi optimis veterum exemplis. Hujusmodi laudatorias epistolas, quae in exemplum proponi possint, e Cicerone digessit Morhof. de Ratione Conscrib. Epist. p. 180. et Majus ad eundem p. 458. Nos quoq exercitationis gratia fingamus Ciceronem ad Octavianum Caesarem (i qui postea Augustus) epistolam in castra ad Mutinam misisse, in qua lenitatem voluntatemq ejus erga optimates laudibus extollat, et quid boni inde civitas exspectet, auguretur. temporum et personarum argumenta dabit Plutarch. in Cicer. p. 883.

II. Gratulatoriae pertinent ad laudationis formam, quia et rem de qua, et personam hominis cui gratulamur laudare necesse est. ubi rursus ad rem et personam respicere nos oportet. aliter enim principi, aliter privato homini et familiari, aliter in re magna et plena felicitatis, aliter in re mediocri et vulgari gratulamur. Omnis autem ratio quinq potissimum praeceptis continetur, 1um laetitiam nostram amplissimis gravissimisq sententiis explicare debemus. 2do si honos dignitasq magni momenti sit, ostendere debemus illum cui gratulamur talibus praemiis dignissimum fuisse. contra si res tralatitia sit, dicemus, eum quidem majora meritum esse, sed hunc esse gradum ad ampliora. 3o gratulationem occupabit votorum nuncupatio ut bonum hoc diu cum dignitate utilitateq civitatis tueatur. 4o loco ad familiarem si scribimus brevius et familiarius non absq vehementi tamen amoris testificatione gratulabimur. Ad principem vero aut virum magistratu conspicuum amplius et sublimius agendum, ut intelligat ipsum a nobis coli. Sed 5to loco cavendum est, ne vulgares quosdam locos communes corradamus, quod gratulandi fidem impediret. Exempla Ciceronis in hoc genere gratulationis praesto sunt apud Morhof. l. l. p. 175. et Majum ad eundem p. 456. Atq exercendi etiam studium alemus si finxerimus primarium Universitatis Batavae Senatum Americanis rei publicae αὐτονομίαν gratulatum esse, argumentum quidem popularesit et de medio sumtum, sed illustre tamen, decoq ex dignitate cum civitatis Batavae

tum nova

tum novae illius rei publicae tractari oportebit.

Porro ejusdem Generis Demonstrativi sunt gratiarum actiones. laudamus enim beneficia vel a re vel a persona. A re ipsa si beneficium magnum, insigne, insperatum, utile, honestum, laudabile et gratum cum tempore tum loco esse ostendemus. ubi cavendum erit ne amplificatio beneficii modum excedat. A persona vero, quae duplex est, vel dantis vel accipientis, gratiarum agendarum causae probabiliter ducentur hae: si a dantis persona laudabimus eum non ambitiose rogatum aut ullo accipientis merito provocatum, sed ultro, sed liberaliter, sed libenter istud beneficii nobis indulsisse. A persona accipientis beneficia laudabimus, si ostenderimus nos plane ad summas angustias daventuros fuisse, nisi eum largitorem obtinuissemus. Neq; hac in re nobis desunt luculenta Ciceronis exempla a Morhof. l. l. p. 178 et Majo ad eundem p. 457. digesta. Quae ut imitando assequamur nostra interexerit fingere epistolam Ciceronis ad P. Cor. Lentulum in exilio scriptam, in qua pro beneficio honorificentissimae ejus ad Senatum relationis de se in patriam revocando gratias agat. rationes personarum et temporum ex Ciceronis oratione ad Quirit. post. Redit. c. 6. et post Redit. in Senatu c. 3. petere licebit.

Tandem ad Genus Demonstrativum jure referas id epistolarum genus, quo Libros vel nostros vel alienos alicui sacros esse jubemus. Omnes enim hujus Dedicationis loci cum a personae sub cujus velut tutela opus evulgatur, tum Libri quem dono mittimus dignitate et laudibus petantur necesse est. Quibus quidem epistolis nihil hodie usitatius est, sed nihil etiam vulgo jejunius. Cum enim Libri saepe dedicentur iis, qui potentes sunt, ceterum ab usu literarum alieni, fieri aliter non potest, quin epistolae nihil aliud contineant, nisi frigidam quandam laudum coacervationem, quae mutato paullisper et nominis et personae titulo, cuicunq; alii Libro accommodari possint. Testes sunt v. c. Dedicationes splendidarum editionum Thucydidis et Luciani, in quibus nihil dicitur, quod non ad multas alias hominum personas mutatis feliciter nominibus aliisve Libros aptius et melius accommodaveris. Atqui vero suprema epistolarum lex est, ut recte monuit Rhetor paragr. 249. ne communia scribamus, sed singulis hominum personis et rebus propria, adeoq; rationes saltem ingeniose explicandae sunt, unde appareat hunc Librum nulli alii, nisi huic convenire potuisse. Neq; opus est rationes semper certissimas et verissimas esse, dummodo sint verisimiles. Idvero genus epistolarum quomodo tractari et scribi debeat, non tam praeceptis quam exemplis docuerunt veteres, tanquam Cicero, cujus loca indicavit Morhof. l. l. p. 182 et Majus ad eundem p. 459. In recentioribus optimae praefationes habentur tres, Jo. Calvini ad Instit. Theol. Thuani ad Historiam sui temporis et Casauboni ad Polybium. Neq; minus hanc scribendi formam ornavit Graevius et Cellarius, cujus utriusq; Syllogen habemus. alteram a Fabricio

alteram

alteram a Walchio publice digestam. Nec minoris momenti est Ernestii ad Ciceronem. Ut vero nobis etiam similia tentandi locus detur; sumamus Livium Historiam suam Octaviano Caesari dedicasse, nam ad verum proxime accedit Livium ante obitum Augusti Historiam suam absolvisse. Ostendatur primum ex persona Livii neminem Romae esse cui opus suum probari malit quam Caesari eum enim esse ut ceterarum artium sic rerum memoriae et eloquentiae studiosum, se irae et studii causas procul habuisse, nosse eum historiae legem ne quid falsi dicatur, neu quid veri non dicatur, multum subinde se in historia scribenda adjutum fuisse Augusti opera argum. Livii Lib. IV. 20. praeterea cum Dii ei suae aetati tribuerint, ut Roma pacem Orbi Romano redditam memoriamq; ducum qui imperium populi Romani ex minimo maximum fecerint argum. Sveton. in Augst. c. 31. renovatam videat: aequum esse, ut quem civitas sibi tutorem legerit, eundem Scriptores ad ingenii sui famam sibi auctorem judicemq; legant, sperare igitur se, historiam suam sub non poenitendo docti principis nomine insignem cum adversus malevolorum obtrectationes satis munitam, tum posteris gratiorem jucundioremq; fore.

II^dus loco Deliberativo generi subesse epistolas, quibus hortamur, suademus dissuademusve, petimus, commendamus, consolamur, vix quisquam negaverit, qui vim singulorum officiorum intelligat. In hoc enim omni genere epistolarum de re facienda agitur, quod est sane consilii. Primum in hortatoriis argumenta rursus ducuntur necesse est vel a re, vel a persona scribentis, vel ejus ad quem scribitur. A re cum demonstramus honestam, necessariam utilem esse. A persona ejus ad quem scribitur, cum eum, quem hortamur, tali animo, ingenio, aetate, rerum gerendarum usu esse scimus, ut negotium suscipere, difficultates profligare, praemia consequi, amicorum in se studia excitare et inimicorum artes eludere possit. Ubi imprimis locum habet ea cautio a Rhetore Nostro paragr. 251. opportune allata, ut videamus cui scribimus. familiares enim adolescentes dignitate et aetate minores liberius apertiusq; hortari et monere licuerit, rectius vero summaq; cum prudentia et verecundia majores natu, nobiliores, doctiores. Neq; ab illorum personis aliena est quaedam humanitatis praemunitio et amoris testificatio qualibus saepius utitur Cicero, tanquam: breve est quod me tibi praecipere meus incredibilis in te amor cogit II. ad Div. Epist. 1. vel: haec impulsus benivolentia scripsi paulo severius X. ad Div. Epist. 6. vel: quare hortatione tu quidem non eges XI. ad Div. Ep. 5. et ad eum modum saepius alibi cum insigni verborum et sententiarum varietate. Exempla veterum si requiramus praesto exunt v. c. Ciceronis ex indicio Morhofii l. l. p. 182. et Majo ad eundem p.

447. Scribi v.c. possit epistola monitoria Scipionis Imperatoris nomine ad Cajum Laelium legatum, cum in eo esset ut Carthaginem novam Poenis eripere studeret. gratuletur sibi primum Scipio talem sibi legatum obtigisse, in quo eximia virtutis et prudentiae argumenta eminent. exponat simul quanta sui expectatio civium Romae sit. quam gravem adversariam habeat in veteranis Magistratibus, qui si quid infeliciter in Hispania actum fuerit omnem invidiae procellam in se sint devoluturi, deoq inexpectati quid in principio audendum esse. omnes in exercitu quid consilii ceperit ignorare, solum se dignum judicasse Laelium, quem consilii participem redderet. Scilicet Carthaginem terra et mari oppugnandam esse. proinde hortari se ut totis classiariorum militum viribus ad urbem transeat, eodemq tempore portum intret, quo exercitus a continenti moenibus immineret. non negare se rem arduam et dubii eventus esse, sed audacibus haud raro fortunam favere, virtuteq eo laudabiliorem fore, quo major sit urbis capiendae difficultas. tandem ingentis praedae spem ostendat et pollicetur dona militaria. proderit in hac causa legere Livium Lib. XXVI: a cap. 42 – 48.

2do Loco Suasoriae vel Dissuasoriae epistolae sunt Deliberativi Generis. In quibus quid scribendum sit et quomodo argumenta inveniantur, nihil attinet pluribus docere, cum talium formas jam supra in Cap. de Locis Gen. Delib. descripserim. Suasioni enim et dissuasioni maxima quoq cum hortatione ejusq contrario affinitas est. Cujus generis epistolarum exempla vel ex solo Cicerone indicavit Morhof. pag. 1814. et Majus ad eundem p. 448. Exemplum epistolae suasoriae subministrabit Hannibalis persona. Is cum animadverteret domi in populatibus suis nihil residuae esse opis, quo Romanis noceretur. Fingi potest literas eum scripsisse ad Antiochum magnum Syriae regem. eiq suasisse ut Romanos nusquam nisi in Italia armis adoriretur. Sic enim eventurum esse, ut sanguis quo nutriretur totum corpus Romanum interciperetur. e Livio enim Lib. XXXIII: 45. et alicubi cognoscitur, eo ipso tempore, quo Antiochus terrestribus navalibusq copiis in Europam transierat, nuntios et literas ab Annibale ad Antiochum missas esse et a rege vicissim ad eum clam legatos venisse. Suasionis illius argumenta ita tractari debent, ut et temporibus et utriusq, Antiochi et Annibalis personae accurate conveniant.

3e loco Petitoriae. Petitio duplex est: vel recta vel obliqua. recta cum libere et sine circuitione, obliqua cum tecte et verecunde aliquid petimus. Utrobiq honestate et prudentia opus est. In petitione directa conciliare primum nos oportebit animum et benivolentiam patroni virtutibus ejus laudandis, praesertim ea, quae alicujus beneficii conciliatrix est. deinde ostendemus

demus, rem, quam petimus esse justam et honestam illi etiam qui dare possit honorificam, denig; polliceri debemus, nos Hesiodei illius semper memores fore, quod eadem mensura reddere jubet qua acceperis aut etiam majori cumulatioriq; si possis. Obliqua utemur si testificabimur quantam pudori vim fecerimus, cum beneficium ab eo petere audeamus, quem nec amicitiae usus et familiaritas nec ulla officii nostri recordatio ad benefaciendum impellere possit. Exempla petitoriarum epistolarum in promtu sunt apud Cicer. indice Morhof. l. l. p. 186. et Majo ad eundem p. 450. Ponamus v. c. Ovidium ab Octaviano Caesare singularibus literis petisse ut sibi in Urbem reditum gratificetur, ad exemplar Lib. II. Tristium. primum non neget se meruisse poenam, ne carminum suorum licentiam extenuando Caesaris iram exasperet. deinde clementiam ejus praedicet, quae gravioribus etiam delictis ignoverit, hac lenitate simillimum nunc Diis judicari dicat igitur se sperare eundem qui aliorum vitae pepercerit, sibi etiam minime malo nec ulla in re studia Caesaris moranti sed juveniliter imprudenti veniam daturum esse. plurimum simul ingemiscat, narret itineris et relegationis suae tristissimos casus, depingat tetram loci ubi commoratur faciem, maximam intemperiem coeli, summam barbariem incolarum literis et ingenio suo inimicissimam, ex quibus omnibus maximum se dolorem cepisse fleat. vel sic tamen adeo non cruciari se his malis, quam pristinae Caesaris erga se benivolentiae jactura. igitur etiam atq; etiam precari se ut illud sibi bonum reddat Augustus, quo nullum carius dulciusq; in vita noverit. tandem polliceatur, omnia quantum in se sit, carmina, quibus Romanae juventutis pudori et castitati nocuerit obliteraturum esse.

Porro Generis Deliberativi sunt IIi loco commendatitiae. habent enim duas partes. vel laudationem rei hominisve et suasionem. quae commendatio pro diversitate rerum et personarum varia est, neq; ut in aliis, sic in hoc quoque genere epistolarum quid apte quid inepte scriptum sit definiri potest, nisi simul definiatur res et hominis persona. A re igitur commendabimus quid, si eam aequam, facilem, expeditam, utilem, honestam ostenderimus. Personae vero triplex est ratio, commendantis, commendati et ejus cui commendatur. Et quidem a commendantis h. e. nostra scribentis persona si necessitudinem, communia studia, officium aliaq; genus commemorabimus, quibus ad commendandum impulsos nos esse dicamus. A commendati persona, si ejus probitatem, ingenium, nobilitatem describemus, aut calamitatem inclementiamq; fortunae ante oculos ponemus. Ab ejus denig; persona cui quis commendatur, si benignitatem ejus, humanitatem, studia erga bonos viros similiaq; laudabimus, unde spem concipere possimus fore ut curam suam et cogitationem in hoc

homine

homine ornando locare velit. Ubi sane videndum est, ne eodem modo ad principem vel magistratus quam ad privatos et amicos fieri solet commendandi vel hominis vel rei causa scribamus, cum illis enim verecundius et reverentius agendum est, cum his liberius et familiarius per literas colloqui licet. Hujusmodi epistolarum exempla quam plurima extant apud Cicer. neq ulla alteri epistola similis est, unde ingenium apparet commendantis, indicavit autem ea Morhof. l. l. a p. 189 et Majus ad eundem p. 445. Fingamus Maecenatem Octaviano Caesari literis commendasse Horatium, nam ex Vita Horatii quae vulgo tribuitur Svetonio, discimus, Horatium primo Maecenati, deinde Augusto commendatum. haud dubie Maecenatis commendatione non mediocrem locum in amborum amicitia tenuisse. Secutus enim erat primum partes Bruti et Cassii, his ad Philippos debellatis, nulla ei spes salutis erat, nisi in Augusto huic eum Maecenas conciliavit, inde statim initio Carminum suorum Maecenatem vocat praesidium et dulce decus suum. In his igitur literis primum narret Maecenas quam ob rem Horatium in familiaritatem receperit, quorsum in eo ingenii quaedam facilitas venustasq eminuerit, inter negotia enim quae circa latus et caput saliant, ejus se facetiis et urbanitate recreatum esse, amicitia et consuetudine sua nusquam eum vel ad luxum vel ad ambitionem abusum esse, nihil rerum novarum et arcanarum dominationis curare, non appetentem honorum, sed lepidissimum congerronem esse, nihil cupere nisi otium, fabulas, rusticationem et quod maximum carminis laudem. jam cum sciat Augustum delectari bonis ingeniis ejusq interfuturum speret si in palatio suo comites habeat quorum sermonibus uti animus oblectetur; sui scribendi facultate res gestae ornari possint; sibi deesse noluisse, quin Horatium hominem eleganter doctum principisq contubernio dignissimum Augusto commendaret, nullum se beneficii certum nomen pro Horatio petere, benivolentiam duntaxat petere, qua sola nihil antiquius jucundiusq Horatio fieri possit.

5te loco Consolatoriae etiam Deliber. Generis causarum necessario sunt, quandoquidem consolandi officium hortationem imitatur. Omnem vero consolationem duplex genus praeceptorum regit, intuitu hominum et rerum. Ratione hominum quos consolamur consolandi genus vel simplex est et apertum vel occultius per insinuationem. priori utemur apud viros sapientes usuq rerum exercitatos et subactos, addita tamen emollitione quadam et excusatione, ne videamur diffidere ejus prudentiae, tanquam se non auferum fuisse ejus dolori qualemcung medicinam afferre, nisi suspicaretur idem illi accidisse quod sapientissimo cuiq evenire soleat, ut primo doloris impetu non statim argumenta succurrant, quae dolorem lenire possint, se imitari malos medicos, qui in aliorum morbis se medicinae scientiam tenere profitentur, ipsi se curare non possint. Alterum genus locum habebit apud illos, quorum imbecillius

est consilium

est consilium, aut recens dolor ac proinde vehementior. Intuitu rerum varia rursus est consolatio. aliter enim dolorem ex obitu carissimi nobis hominis captum lenimus, aliter patriae finibus ejectum, aliter honoribus et bonis exutum consolando erigimus. Praestantissima veterum exempla, in primis Ciceronis praesto erunt ex Morhof. l. l. p. 191 et Majo ad eundem p. 452. Attici nomine possint scribi literae, quibus quis consoletur Ciceronem exulem. primum Atticus sciet, qui Ciceronem consolari cupiat, consolandum se ipsum esse, quod nullam rem molestius tulerit, quam injustissimum illud, quod ipsi acciderit incommodum. deinde ostendat a pristinae consuetudinis legibus et amicitiae officiis non alienum fore si eum hortaretur et rogaret, ut se colligat hominemq; se et virum esse cogitet. hominem, quia communes et incertos casus nemo praestare possit; virum, quod sapientis sit aliorum injuriis non commoveri. in memoriam ipsi simul revocet, multis fortissimis atq; optimis viris non in Romana solum sed etiam Attica civitate injustis judiciis tales obtigisse casus. praeterea scribat, plura ipsi virtutem dedisse quam fortuna abstulerit, se ceterosq; bonos non eum a fortuna sed a virtute aestimare, magnae ipsi consolationi esse debere, quod integer paene Senatus et Equester ordo velut in publico luctu vestem mutarit, unde nihil ei jure et merito accidisse secum animo reputet. proinde roget eum, ne animo abjecto et perculso sit, aut quotidiano moerore se conficiat, nec obliviscatur se Ciceronem esse, eum scilicet qui aliis praecipere et dare consilium consueverit. Ceterum persuadeat Ciceroni inimicorum fraudes et technas sua quidem ipsi ademisse, se tamen ei adimere nullo modo potuisse. polliceri enim se eundem animum erga eum et domum ejus ostensurum esse, qualem esse ipse velit et qui esse debeat.

Tertio causarum generi, quod judiciale vocant, quaedam epistolarum formas subesse ipsa objurgandi, expostulandi, purgandi et deprecandi ratio declarat, quarum praecepta cum accusationis vel defensionis locis continentur, hoc loco eadem repetere non est necesse. Id solum quoad accusatorias monco sive expostulatorias, in reperiendis earum argumentis tria plerumq; consideranda esse. primum causam, quare expostulemus, sive ea fuerit delicti, vel injuriae vel culpae, vel erroris. deinde personam accusantis, accusati et apud quem accusatur. tandem ipsam expostulandi actionem. Unde manifestum est, non uno modo ejusmodi epistolas scribi posse. Si enim peccatum leve est, tanquam officii intermissio, scribendi negligentia, lenissimis eam verbis et rationibus ad humanitatem et observantiam; sin mala mens malus animus v. c. maledicentia perfidia nos offenderit, id ipsum cum quadam admiratione proponendum significandumq; est, quam aegre id nobis acciderit, nos nihil ejusmodi meruisse, comparatione simul instituta fidei nostrae cum turpitudine ejus perfidiae. Quod ad personas hominum attinet, aliter accusamus apud judices, aliter apud amicos et controversiae arbitros, inferiores nobis increpamus et objurgamus, pares graviter admonemus, de superioribus verecunde querimur. Ipsa accu-

sandi

Sandi ratio quomodo fiat in ipsis locis Generis Judicialis jam declaratum est. Optima veterum exempla, inprimis maximi eloquentiae Magistri Ciceronis digessit Morhof. p. 194. et Majus ad eundem p. 459. Ponamus Veturiam literis expostulasse cum filio Coriolano, quod irarum et amentiae plenus, neglecto patriae et suorum sensu omne Volscum nomen ad defectionem instigaverit, pacem a legatis et Sacerdotibus Romanis oblatam repudiaverit, in eoq nunc sit ut ad ipsam Urbem castra promoveat. Utriusq personae et temporum imaginem depinget Val. Maxim. Lib. V c. 4. explo. 1. Plutarchus in Coriolano p. 229. in eo duntaxat falsus, quod matrem Coriolani contra omnium Annalium famam Volumniam appellat, inprimis hic legi debet Livius Lib. II: 40. ubi rerum accuratio cum dictionis subtilitate certat.

§ 252. Neq vero praeceptis &c Quomodo in omni epistolarum genere argumenta collocari debeant, ineptus profecto esset, qui hoc generatim definire velit. Inventa quidem argumenta non solum via et ratione sed etiam judicio ordinanda esse nemo dubitat. nam oratio destituta ordine tumultuetur necesse est, neq cohaereat sibi, sed eodem modo casum imitetur atq si quis 24. literas in pavimentum abjiciat, indeq oriri posse aut Homeri Iliadem aut Aeneida Virgilii. Unde Horatius etiam in Carminibus liberrimo alioquin ingenii spiritu rectis, suadet; Singula quaeq locum teneant sortita decenter in Art. Poët. ✗ 92. Vel sic tamen dispositionis ratio pendet a varietate argumentorum et scribentis judicio, quod nullis praeceptis potest informari, exemplorum pulcritudine potest. Interdum rationes primo loco ponas. interdum proponas primum quid velis, deinde vim rationibus subjectis addas. prodi scilicet consilium temporis et rei cujusq natura postulat. Inde vehementer ineptiunt minuti illi veterum interpretes, qui Ciceronianarum aut Plinianarum epistolarum vim se et tirones intellecturos esse sperant, si quadam jejunitate paupertateq legum Dialecticarum eas aestimaverit.

§ 253. Illud quoq facile &c Ex his quae antea dicta sunt, clarissimum in modum apparet, non uno eodemq modo omnes scribi posse literas. Si enim in omni facultate oratoria constanter ratio haberi debet temporum et personarum, sua sponte intelligitur aliter ad proceres, aliter ad inclytos sapientia et eruditione viros, aliter ad homines mediocriter quidem doctos, rerum tamen judicio et usu elegantes, aliter ad familiares scribi oportere epistolas. atq priores illae quidem plus operae desiderant quam hae novissimae. quandoquidem illic omnia graviter, hic rerum et verborum tenuitate populariter uti licet.

CAPUT II.

De Orationibus.

§ 254. Orationum duo genera &c Etsi eloquentia e conciliis hominum nonnullis exulasse videtur: ejus tamen neq dignitas ubiq obliterata est, neq vera ejus disciplina perversitate hodie dicentium immutari potest et debet. Omnes vero orationes cujus demum cunq argumenti sint ad unam trium causarum, vel laudis, vel consilii, vel judicii pertinent. Interim de his quae

hodie

hodie in usu sunt maxime orationibus praecipere opus foret, nisi nonnullorum vel tarditas vel opinio se quid scribant scire negantium intercederet, quorum imbecillitati ut succurreret Rhetor Noster persuaderetq immutatos Civitatis mores nihil derogasse verae priscorum eloquentiae, paulo aliam ingressus est viam, distribuitq omnes quotquot hodie obtinent orationum formas in duo genera panegyricum scilicet et politicum, qua in re auctorem habuit Hermogenem de Formis Oratoriis cap. 10 et 11 pag. 467. Scilicet in panegyricum omnia orationum genera cadere ait, quae ingenii, eloquentiae et delectationis gratia maxime comparantur, qualia sunt laudationum, gratiarum agendarum, gratulationis aliorumq similium officiorum. Politico subjicit orationes, quae aut in provisione posteri temporis aut in praeteriti disceptatione versantur, quorum alterum deliberationis est alterum judicii, uno verbo quae ad utilitatem civium vel omnium vel singulorum spectant, adeoq non modo in conventu Senatorum sed etiam populi concione recitari solent. Hinc recte Laurentius in Commentario ad Hermog. p. 121. 122. ad hoc ipsum genus politicum retulit orationes Ecclesiasticas h. e. quae de rebus divinis in basilicis ad populum haberi solent, cui etiam annumeraveris ejusmodi orationes, quae in celebritate hominum eruditorum recitari solent, utrobiq saltem nihil aliud spectatur, nisi audientium et populi utilitas. Interim neutrum genus communes et constantes eloquentiae leges mutare potest et debet. Si enim orationes sacrae nihil aliud complectantur, nisi subtilem doctrinae theologicae loci cujusdam illustrationem, vel literariae in nulla re alia, nisi ea, quae velut ad inspiciendum cognitionis gratia instituta est, adeoq in thesi et causa infinita versentur, ambae orationum jure et nomine indignissimae sunt, illasq homilias i. e. sermones vocabulo antiquis usitato, has commentarios vel disputationes rectius appellaveris. Nam alia est illa, cum veritas limatur in disputatione subtilitas, alia cum ad communem opinionem et ad causam dubiam omnis accommodatur oratio ut recte ait Cicero II. de Offic. c. 10. Jam vero utrumq dicendi genus nulla alia nisi veteri Graecorum Romanorumq arte regitur, quam qui legendo commentando, exercendo tenuit haud difficulter quid et quomodo in singulis dicendum sit causis reperiet. Quae ratio fuit cur Rhetor Noster politici generis praecepta nulla dederit, sed de solo panegyrico disputaverit. Interim qui priscas eloquentiae leges ad formam Oratoris Sacri traductas cognoscere velit inspiciat Rhetores larga manu datos a Morhof. in Polyhist. Lib. VI c. 4.

§ 255. Panegyricae Orationes &c. Panegyricae orationes inde nomen sumserunt olim quod in πανηγυρι i. e. in concursu hominum totius Graeciae tanquam in Ludis Olympicis, Pythiis aliisve, maxime tamen Olympiae eloquentiae ostentandae causa recitabantur teste Isocrat. in Orat. de Bigis p. m. 690. Cum enim incredibilis hominum multitudo ad quinquennalium ludorum celebrita-

tem

tem veniret, nusquam sane Scriptores rerum Poëtae et Oratores majus habebant theatrum in quo ingenii et eloquentiae facultatem demonstrarent, quam cuncta paene audiente Graecia. Sic Herodotus sumto sibi ad historiae recitationem gradu templi Jovis Olympici tanta sermonis dulcedine audientes tenuerat ut ejus Libris Musarum deinceps nomina assignarentur teste Luciano in Herod. c. 1. p. 833. Tom. 2. Operum Edit. novissi. Similiter Poëtas sua ibidem recitasse carmina Xenoclis et Euripidis exemplum docet apud Aelian. 11. Var. Hist. c. 8. In quibus conventibus ne Oratorum quidem lingua muta fuit. Ita novimus Isocratem pulcherrimum suum παγηγυρικον λογον de tollenda civili discordia et armis adversus Persas sumendis Olympiae recitasse, auctore Philostrato 1. de Vit. Sophist. c. 17. Sic Leontinus Gorgias quadam eloquentiae fiducia motus, in eodem conventu Olympico poscere non erubescebat qua de re quisq; vellet audire secund Cicer. 111. de Orat. c. 32. Unde istud Orationum genus Sophisticum audiebat spretum et pulsum foro ut loquitur Cicero in Orat. c. 14.

§ 256. Jam primum, quoniam De Quoniam vero totum hoc dictionis genus in personis, temporibus et locis positum et locatum esse debet: facile intelligitur ratio cur nulla alia re ad dicendum indigeat praeter eam, cujus causa dicitur, omnemq; narrandi et augendi materiam ex ipsis rebus et personis sumat. Uti enim, ut saepius antea demonstratum est, inventionis Oratoriae dos non quaerenda est in universa quadam et infinita causa: ita in hoc orationis genere panegyrico haudquaquam tolerabilis est a propriis personis et temporibus avocata et ad universi generis orationem traducta quaestio, nisi ea sit vel personae hominis vel rei laudandae inopia, ut nulla ex his idonea materia ad dicendum repeti possit, quod tamen rarissime accidere solet, et si contigerit nonnunquam excurrere licet ad quendam locum communem ornandum, exemplo Demosthenis, Isocratis, aliorum, alioquin id ipsum indicat summam Oratoris malicm et paupertatem in magnis et illustribus virtis laudandis orationem ab eorum persona avocare. Uti enim Cicero l. de Invent. c. 6. quaestiones infinitas procul ab Oratoris officio remotas esse judicat: sic qui qui ita orationem infectuunt ut subtilitatem potius doctrinae suae ostendant, digni profecto sunt, quibus illud Ciceronis accommodetur 11. de Orat. c. 4. omnium ineptiarum inscientiis, quae sunt innumerabiles, haud scio an ulla sit major, quam quocung in loco de rebus aut difficillimis aut non necessariis argutissime disputare. Inde fit ut hi, si Diis placet, Oratores, si per urnas alteriusve clepsydrae spatium de quaestione quadam erudita potius, quam de re cujus causa oratio fieri debet, verba fecerint, bellissima hac formula transitum faciant, tanquam Deo ex machina advocato; Sed satis de hoc argumento, nunc peragendum est, quod hujus diei solennitas postulat. Multo magis aversari nos oportet morem nomina personarum, locorum etiam ad suum argumentum torquendi, plane indignum viro gravi et

oratori. Nihil enim habet ista ratio, nisi licentiam sententiis argutam, verbis sonantem, ceterum pueriles in re seria ludendi deliciias similesq; ineptias, quae ab Oratoris persona longissime abesse debent.

§ 257. Est autem omnibus formis &c. Tametsi hoc ipsum genus panegyricum latissime pateat, variumq; esse soleat, quoniam vel ad laudes alicujus hominis vel principis, 2do ad gratias agendas vel 3tio ad gratulationem v. c. nuptiarum, natalium, imperii, reditus, victoriae vel 4to ad inaugurandum vel denique ad funus celebrandum suscipitur: tamen a meliori parte laudatio dicitur plenegq; respondet veterum Generi Demonstrativo. Etenim omnibus istiusmodi orationum formis inest laudatio vel ex parte vel ex toto. Si ex parte laudatio assumitur res et virtus illa, ob quam gratias agimus, gratulamur aliove modo dicimus extollenda est, veluti in gratiis agendis ipsa beneficii praestantia, tum benignitas, munificentia, magnus et excelsus animus tribuentis. In gratulando dignitas, felicitas rei consecutae, merita ejus cui bonum contigit et per quem paratum sit recte amplificabuntur. Contra si ex toto ad singulares causas transfertur, manifestum est integram orationem laudibus consumi, causam vero testificationemq; officii illius, quo defungi Orator debebat in epilogo demum exponi. hanc sane viam tenuit Plinius minor qui Trajano Augusto pro Consulatu gratias acturus, totam primam orationem laudibus ejus implevit, tandem a cap. 90to instituta gratiarum actione, quantum principi suo debeat profitetur. Eundem quoq; tenuerunt subinde alii veteres panegyricorum Orationum auctores. Cum igitur totam orationem laudatio occupaverit, duabus eam modis tractare debet, aut genus aliquod virtutis, sapientiae artis deligendo i. e. excellentis formam principis Icti, Medici, Theologi, Grammatici ad imaginem ejus quem laudandum nobis sumimus depingendo, aut omnes ejus laudes persequendo.

§ 258. Si partem aliquam &c. Si unum aliquod laudis genus in hoc illove maxime conspicuum ob oculos ponendum esse judicamus, quae sane laudationis tractatio ceteris praestantior est. Oratio duabus absolvitur partibus. Altera rationes generatim sumtas amplectitur disseritq; in universum de maxima boni principis virtute, de officio et prudentia summi armorum ducis, de innumerabili rerum scientia, quae verum Theologum, verum Ictum, Medicum, Grammaticumve non circulatorium doctorem perficit. Altera vero quicquid universe dictum fuerat ad certam personam accommodabit, ostendetq; in eo principe, homine docto et eruditio fuisse omnia, quae ad formam optimi exemplaris pertinent, et haec quidem pars, qua proprie laudatio continetur longe uberior altera illa esse debet, praesertim si fuerit ejusmodi, quem laudamus, ut multa in eo virtutis scientiaeq; genere argumenta ediderit, quemadmodum Cicero fecit in Orat. Manil. qui cum primum in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere breviter demonstrasset, rei militaris scien-

etiam

entiam, virtutem, auctoritatem, felicitatem. In singulis demonstrandis ita versatus est, ut officiorum illorum genera in universum describeret. qualia vero quot et quanta eorundem argumenta in solo Pompejo extiterint copiosissime incredibiliq oris divinitate persequeretur a cap. 10—16. Aliter se res habet, si is quem laudabimus parca aut valde tenuia quaedam fecerit gesseritve in eo genere quod proposueramus, tum in priori parte quam in altera diutius morari licebit, ut si vanarum nullius fidei laudum onere levemur. Id ipsum quoq genus recte exornabitur, si eum qui laudatur cum aliis spectatissimae in eo genere virtutis homine illustrive viro contenderimus. ubi primum hujus virtutis quid ei magni nominatim quid incredibile acciderit, quid senserit gesserit scripserit cumulate laudes necesse est. Deinde quae proposita sunt, cum praesente illius persona sic componas ut subjectis vitae ejus morum, rerum gestarum ingenii argumentis clarissime appareat hunc ipsum in eandem laudis qua prior excelluit societatem venire eiq rectis studiis et artibus aut parem aut minime secundum fuisse.

§ 259. Cum autem omnes &c. Quodsi universos alicujus laudes amplectimur, dupliciter id fieri potest vel per genera vel per tempora sive ut vulgus loquitur vel synthetice vel analytice. Cum per genera laudare animus est eadem adhibebitur ratio atq haec quam modo tradidi, scilicet virtutes generatim describendo augeantur. tum propria virtutum genera multa alicujus et varia sive naturae sive fortunae praesertim animi bona oratione illustrentur. atq talis quidem laudationis forma nulla re a superiori differt alia, nisi hac sola nota, quod ista in uno virtutis genere versatur, haec contra ad plura virtutum capita omnes publicae et domesticae vitae actiones refert. Ubi vero temporum ordinem servaveris idem laudationis modus, eaedem partes, iidemq loci et argumenta tenebuntur, quae antea indicata fuerunt. Scilicet ortum et natales, parentes, patriam, puericiam, adolescentiam, juventutem, virilem aetatem, honores et quicquid in his laudabiliter actum est, dicendo exornabit, neq mortem ejus silentio praeteribit, si modo quid erit animadvertendum aut in ipso genere, aut in iis rebus, quae post mortem consecutae sunt, uno verbo. nullius omnino rei oblivisceur, quae ad imaginis ejus, cujus vita laudabitur honestatem dignitatemq pertinere videbitur. Sed in eo tamen genere ubi ad adultam et capacem virtutis aetatem, honores, et res gestas pervenerimus non quaelibet promiscue corradenda, sed haec erunt maxime illustranda, in quibus velut praeparata ad ornandum materia inest. Deinde singulis apte et scienter lectis, ita inhaerendum est ut simul ad animi motus leniter tractandos et explendum aurium sensum sententiis inopinatis novisq utamur. Omnis enim expectatio eorum, qui audiunt, et improvisi rerum insignium exitus plurimum in audiendo suavitatis et voluptatis habent. Ad eum modum Isocrates Evagoram suum laudibus celebravit, in toto enim orationis velut ambitu

copiosissim

copiosissime splendidissimeq; exposuit quemadmodum generatus, educatus et institutus fuerit a p. m. 372 sqq. tum ad virilem aetatem progressus omnes ejus virtutes, res gestas, belli et pacis artes contentione cum aliis regibus facta ita illustravit ut non tam Evagorae memoriam dicendo recolere quam pingere videretur. Ita Plinius minor, etsi Trajanum per rerum genera laudavit: tamen temporis quoq; seriem non neglexit, simulatq; vero publicam Caesaris vitam describit ab adoptione orditur et in tertio ejus Consulatu desinit a c. 6. sqq. ubi privatam et domesticam ejus vitam persequitur, ut juvenem, ut maritum Plotinae, ut fratrem Martianae, ut patronum libertorum suorum, ut idoneum patremfamilias ita extollit et praedicat ut ubiq; narrationem suam egregiis sententiis distinguat. Pulchrum laudationis sive panegyrici exemplum nostris temporibus dedit egregius Witeberg. Orator olim I. F. Bergerus in Panegyr. Imperat. Carolo VI. dicto, qui extat in Calce ejus Libri de Natur. Pulchrit. Orat.

§ 260. Altera forma est earum &c. Alterum genus panegyricarum orationum est ejusmodi ut alteri pro beneficiis gratias agamus in qua quidem dicendi forma cum vix usu venire possit ut idonea ad dicendum materia desit ei, qui aliquem beneficii et grati animi sensum habet; universae profecto alicujus quaestionis tractatio intolerabilis est. haec enim non solum Orator suam ingenii paupertatem prodet, sed etiam non quid ipse suo euergetae debeat verum quam gratiam alii aliis habeant demonstrabit.

§ 261. Et universe quidem &c. Omnis vero gratiarum actio duabus absolvitur partibus: quarum altera est laus beneficii et benefactoris, altera grati animi testificatio. Beneficii laus extolletur et amplificabitur locis a natura ejus effectis, opportunitate personarum, temporum et locorum, a modo et ratione tribuendi, item comparatione petitis. qui omnes e fonte loci magnitudinis primario manant, nec facile fingi potest aliquis ita hebes et pauper ingenio ut hic aqua haereat. Sunt enim illi loci cum ad inveniendum uberes et foecundi, tum ad movendos hominum sensus maxime populares. Benefactoris vero laus primum ad beneficii genus et laudem accommodari debet indicato simul illarum virtutum fonte, unde beneficium profluxerit. deinde virtutes ipsae apte prudenterq; augebuntur ex illis ipsis locis, praesertim ex loco modi. Etenim ut is maxime liberalis et munificus habetur, qui beneficium contulit primus, solus, cum paucis, praeter spem, cito, nullo nostro merito, opportune cum significatione amoris, comiter, libenter, sponte, non rogatus, cum incommodo suo et aliis modis: sic magnitudo ipsa bonitatis, comitatis, benignitatis ex hoc locorum congerie intelligitur. Denig ab hypothesi ad thesin transire licebit i. e. virtutes illae a propria benefactoris persona ad universi generis orationem commode traducentur. quae quidem thesis maximum lumen et suavita-

ten

tem accipiet a loco comparationis. Si scilicet comitatem, humanitatem, beneficentiam, promtam tribuendi voluntatem per causarum, adjunctorum et effectorum rationes inter se contenderis.

§ 262. Frati animi &c. Frati animi fiâo duobus modis fit: aut praesentis laetitiae nostrae ob alterius beneficium demonstratione: aut futurae laetitiae memoriq semper animi pollicitatione. Cum vero laetitia sit recens opinio boni praesentis; facile apparet, primam partem ipsis animi motibus regi, neq fieri posse, ut qui senserit vim magnitudinemq beneficii, in redundantia gaudii metus esse possit. Si enim unquam, locum habet illud Aristilianeum, hic certe verissimum est: pectus est quod disertos facit. Neq praecepta hic multum profunt. Animus autem incendetur ad laetitiae sensum, si Orator superiora rerum argumenta in memoriam revocet et in compendium mittat. praeterea ex comparatione suae et tribuentis personae veritatem exultantis animi fiâbit. In altera orationis parte, ubi apud se sanctam et perpetuam beneficii memoriam fore spondet, frequenter adhibebit figuras gravitatis, paria paribus, similia similibus referet, novitateq et insolentia quadam in proponendo utetur. Negabit primum se parem esse non modo habendae sed etiam referendae gratiae. deinde ostendat se nullam observantiae occasionem praetermissurum esse. Dq intelligetur si nominatim et accurate quam gratiam relaturus sit, et qualem repoſcat beneficio se meritus ingenio se et eleganter indicabit, tanquam non foenerari eum beneficium. sed nihil esse, quo tumultuatius gratiam sibi relatam esse existimet, quam si studiis ejus et beneficiis recte ad rei publicae utilitatem et commodum utemur.

§ 263. Ceterum haec ad &c. Ad omnes vero singularium causarum formas vix Rhetor se demittere potest. quoniam sic praeceptorum nullus nec modus nec finis foret, neq superiores intelligenti locus dicendi materia deerit, quomodo pro honoribus, pro venia peccati data, pro instaurandis procerum rei publicae concordia, pro vectigalibus remissis aliisq id genus beneficiorum argumentis gratias agat. profecto suus quemq sensus hoc docebit, nec qui legerit veterum exemplaria in sententiis probabiliter reperiendis valde haerebit. Ita v. c. elegans est pro honoribus acceptis gratiarum actio apud Ciceronem in Exordio 2. Agrar. c. 1, 2. apud Plinium in Panegyr. a cap. 90. Item Mamertinum, forte, juniorem in Gratiarum actione pro Consulatu Juliano Caesari dicta p. 283. et Ausonium in Oratione Consulari Gratiano Augusto dicta p. 335. pro reconciliata gratia et condonatis partium studiis apud Cicer. in Orat. pro Marcello. pro reditu in patriam apud Cicer. in Orationibus ad Quirites post reditum, et post reditum in Senatu. pro instaurata civitate et recepta salutis spe apud Livium in oratione Saguntinorum ad Senatum lib. XXVIII: 39. denique pro vectigalibus remissis apud Eumenium in Gratiarum

Actione Constantino Augusto dicta a p. 172 edit. Cellar.

§ 264. Licebit etiam &c Ceterum in ipsa gratiarum actione si oratio requiratur longior et copiosior, a propria beneficii laude dicendi materiem avocare et traducere licebit ad universas benefactoris laudes, ut Plinium feciße antea indicavi. Idemq; aliis in causis recte tentabitur, dummodo id curemus ne digreßio illa nimis longe arceßita a gratiarum agendarum forma, neu ad locum communem delabamur, qui propter doctrinae subtilitatem ornari commode non poteßt. Ita in oratione aditiali, ubi pro munere literarum publice docendarum gratiae aguntur, digreßio fieri poterit vel ad universas principis magißratuumve laudes vel ad locum communem de officio doctoris publici, de ußu et praeßantia artis illius, quam traditurus eßt, de via et ratione quam in his artibus et magißri et tirones tenere debeant. vel denig Orator in accußanda judiciorum perversitate defendendiße artis suae causis verßabitur. Veterum quidem Oratorum disciplinae accommodatius eßt, nullum aliud orationis caput et summam fieri, nißi eam, cujus causa dicitur, quoniam re ipsa, de qua dicendum erat relicta et repudiata multi multa audiunt, quae nec illo tempore audire velint, nec sibi audienda putent: interim cum aliquid dandum sit opinionibus hominum; huic quidem consuetudini mos geratur, sed ita tamen ut populare et convenientißimum argumentum temporibus, loco, audientiumq; et noßrae personae legamus, nec tam subtiliter docti quam ingenioßi eße videamur, adeoq; ut Cicero ait, sine ulla serie disputationum et sine jejuna concertatione verborum dicamus II. de Orat. c. 16.

§ 265. Tertia forma generis &c Gratiarum actioni finitima eßt tertia panegyrici generis forma i. e. gratulatio. Nam in gratiarum actione beneficium laudamus, in gratulatione bonum extollimus, quo alter auctus eßt. Ut varias ob causas gratias agimus; ßc multae etiam cur gratulemur subeße poßunt rationes. In quibus quomodo verßandum ßit non difficulter intelligitur cum vim et naturam gratulationis in universum recte tenuerimus. Omnis gratulatio duabus partibus discernitur, et gaudii ßcaßne et votorum nuncupatione, quarum prior in Oratione eminere debet, ea vero pro diversitate rerum gratulandarum mire variat. aut enim boni illius, quod quis adeptus eßt genitrix et conciliatrix eßt fortuna, aut virtus parens et architecta fuit, ßve ßola, ßve temporibus adjuta, tanquam in victoria expugnatarum urbium ßopitae civium discordiae, atq; eo ßpectant nonnullae veterum Orationes, veluti Eumenii panegyr. Constantio Caeßari recepta Britannia p. 83. edit. Cellar. Incerti auctoris Constantino de victoria adversus Maxentium p. 197. item Trebanii panegyricus Theodoßo Augußo de victoria Maximi dictus p. 361. Si igitur bonum ßolius fortunae

eßt

est, id ipsum augebitur ex fonte primario Eloquentiae i.e. e locis magnitudinis ut Cicero fecit pro Marc. Marcell. c. 2. deinde cum re sociabuntur laudes ejus cui gratulamur, is enim ne frustra videamur laetari magno exii opere extollendus, ostendendumq; neminem eo digniorem fuisse, cui vel res secundae contingant vel cujus prospero successu omnes gestiant. Quem duplicem persuadendi finem assequemur si virtutes ejus splendide commemorabimus, inprimis eas, quae ad utilitatem vitae communis et societatis humanae jura spectare videbuntur, veluti justitiam, officiosam humanitatem, liberalitatem, amorem patriae, comitatem, alias id genus. Quodsi ex boni laude nihil decerpit fortuna sed maximam partem virtus suo sibi jure vindicat 1o ipsum κατορθωμα h.e. recte factum exornabitur e locis magnitudinis, praesertim causarum et effectorum, unde apta ad virtutes laudandas transitio fiet, ubi tamen cavendum ne omnium rationes habeamus, sed earum duntaxat quae cum hoc κατορθώματι arctam colligationem habent. In altera parte optamus bonis rebus perpetuitatem et incrementa, precamurq; ut ab hac ipsa felicitate plurimi in rempublicam fructus redundent. Si personae hominis conditio patitur, licebit eum hortari, ut majora in dies virtutis argumenta edat. Sin ejus sit dignitatis ut cohortatio nos non deceat, dicemus, neminem dubitare, quin in eo omnem sit collocaturus operam ut non minus res publica ipsi, quam ipse rei publicae debeat.

§ 266. Sed gratulandi causa &c Singulares vero maximeq; usitatae nostris temporibus gratulandi causae sunt in nuptiis 2do in natalibus 3o in auspiciis honorum, imperii et rei publicae capessendae. item in adventu principum. Ac nuptialium quidem Orationum praecepta dedit Dion. Halicar. in Τεχνῃ a p. 34 sqq. Tenendum sane est, quod Rhetor Noster hoc loco observare jubet, multum interesse privatis hominibus an principibus nuptias gratulemur, utrig enim generi Orationum propriae sunt leges et singulares argumentorum loci. Si privatis hominibus nuptias gratulamur, duplex necessario inesse pars debet, quarum altera laudem sponsi sponsaeq. altera felicis connubii nota et omina continet. Laus recte tractabitur virtutibus et bonis utriusq; praesertim iis ingeniose commemorandis, unde non modo judicium et elegantia dilectus intelligi, sed auguria quoq beatissimae conjunctionis capi possint. atq hic licebit transire ad quaestionem infinitam et locos communes, veluti quae vera sit connubii laus, dos, census et forma, an virtus, dignitas natalium et morum similitudo utriusq conjugis optionem regere debeat, non illam esse dotem, quae dos vulgo dicitur, sed pudicitiam, sed pudorem, sed fedatam cupidinem ut loquitur Plaut. in Amphitr. II: 2: 219. porro longe praestantiorem esse animi quam corporis pulcritudinem vid. praeclare dicta veterum in Fruteri Animad. ad Senec. Sentent. p. 70. post has similesq; sententias idoneus erit transitus ad laetitiae demonstrationem, quae fieri debet additis rationibus, cur eam nuptorum felicitatem ad nos pertinere

nere judicemus v. c. in communi laetitia tacere nos noluisse, sanguinis cognationem, beneficia nuptorum unius vel utriusq. ad dicendum nos impulisse. In altera parte vota eleganter fient augurando et praedicendo qualis post aliquot annos futura sit conjugalis domus facies, cum huic connubio non tam Veneris et fortunae temeritas quam Sapientia bonorum conciliatrix praefuerit.

§ 267. Sin principibus &c. Ubi nuptias principibus gratulamur, sciendum est, haud dissimile quidem orationis genus esse quoad distributionem partium, sed plus ingenii, prudentiae et cautionis desiderare, ne quid dicatur quod fastidiosas principum aures offendat. Primum laudari poterit matrimonii ineundi consilium, quoniam principum coelibatus uti incertas successionis spes reddit: ita gravium subinde malorum causa fuit, quod historiae exemplis illustrari debet. tum singularis ejus prudentia in eligenda nupta praedicabitur, ubi non solum dubitare licebit utri nupto plus de alterius conjunctione gratulandum sit, sed etiam contendi poterunt utriusq. bona vel naturae et fortunae vel animi, ubi sanctitatis, morum, verecundiae, sapientiae laudes indicari debent. Item fortunae et animi bona inter se committantur. Hinc etiam digrediendi facultas erit ad locos quosdam communes ex rerum civilium scientia et historia in primis sumtos, veluti quantum momenti habeant principum nuptiae ad rei publicae salutem, duarum saepe gentium implacabiles iras et bella diurna connubiis principum sublata fuisse, item de utilitate connubiorum quae inter gentes principum antipontificiorum conjunguntur. sed abstinebit a nonnullis quaestionibus, veluti, an principi uxor ducenda sit quam nunquam viderit? an picturae fidendum? quoniam nuptiae principum his saepe modis fiunt nisi contrarium obtinuerit. In nuptorum, quibus gratulamur personis postea magnitudo spei, quam omnes boni de futura connubii felicitate concipiunt, ornatissimis lectissimisq. sententiis declaranda est, unde sua sponte transeundi locus dabitur ad hominum animos omni laetitia et hilaritate perfundendos. Qui vero rursus orationis caput quaestione universa absolvi malint, hi sane cavere debent, ne aliena a personarum dignitate proferant, aut scholasticae eruditionis amore ducti, sibi potius quam principibus, quorum vel causa vel quibus non raro praesentibus dicunt, placeant. Quoniam tamen ejusmodi gratulationes plerumq. ab hominibus eruditis fiunt, qui saepe a rerum civilium usu remoti, de nulla re lubentius, quam de doctrinae capitibus loquantur; convenientissima saltem haec orationis argumenta erunt, quae ex historiae monumentis petuntur, quemadmodum fecit laudatus a Rhetore nostro Bergerus in pulcherrimo panegyrico, quem in sacrum duplex connubiale Dresenae et Monaci apparatum recitavit, in orationibus ejus Lectionibus a p. 983. Ex antiquis huc pertinet incerti auctoris epithalamium Maximiano et Constan-

et Constantino in hujus et Faustae nuptiis dictus p. 113 edit. Cellar.

§ 268. Natalitiae orationes &c. Natalitia oratio duplicis est generis aut enim primum infantis natalem, aut recurrentem adultorum natalem votis et bonis omnibus prosequimur. Etsi vero privati interdum homines privatis sive oratione sive carminibus genethliacis gratulantur, quod tamen aut ludicrum aut stoldae arrogantiae videri possit: tamen ad orationis genus proprie in infantes et viros principes cadit. Etenim privatorum hominum natales nemo proprie praeter domesticos et familiares curat. hos vero natos, aut reversis natalibus diebus florere universae interdum civitatis interest. Ideoq ad has solas orationes praecepta conferre debemus. Hujus formae orationis partes necessariae et principes sunt laetitiae scâo et notorum nuncupatio, figillatim vero gratulatio prolis, ad quam proprie Dionys. Halic. praecepta spectant in τεχνῃ et quidem in capite Μεθοδος γενεθλιακων inscripto p. 36. ita tractari debet primum ut gaudium bonorum omnium demonstremus, omnesq ad laetitiam incendamus, ostendendo quantum boni et fructus ex sobole numerosa principum in civitatem redundet, praesertim si mas, aut natu maximus fuerit, sollicitudo civium eoq major nunc laetitia apte depingetur. tum si justa opus erit oratione, agi possit de argumento, quod ab ejusmodi solennitate non abhorreat, veluti quantae calamitates ex conjugum sterilitate regnis ortae sint, quanto in honore et caritate civium olim matronae puerperiis insignes fuerint, cujus rei exemplum fuit in Agrippina Germanici uxore Julia Agrippina Germanici filia a Claudio Imperatori nupta et Poppeja Neronis conjuge apud Tacit. l. Annal. c. III. II Annal. c. 43. et XII: 6. inde non solum amoris erga puerperam affectus erit excitandus, per quam tanti nos beneficii Deus compotes esse voluerit, sed etiam ad parentum laudes progredi licebit. tandem votis et precibus recte defungemur oratione vel ad parentes vel ad infantem directa, ad parentes cum matri puerperii pericula de medio sublata utriq perennaturam felicitatem precamur. ad infantem, cum auguramur eum, si ex ephebis excesserit non quieturum esse, quin parentum vestigia imitando premat. Non melius hodie exemplum novi ejusmodi gratulationis, non tam quoad dictionem Latinam, quam inventionem et sententias, quam Caroli Lorei gratulatio in ortu Delphini Tom. II. Orat. p. 86.

§ 269. Natalem autem &c. Si principis, qui jam aliquandiu bene de re publica meruit natalis celebrandus sit videndum erit primum an secundum, tertium, quartum aut sacpius hunc ipsum ei gratulemur. Si ad primum a nobis fiet, libero quasi campo in omne genus argumentorum poterimus effundi. Sin ea dicendi materia sacpiuscule tractando sterilior facta fuerit, quemadmodum id necessario evenire debet N. gr. Rhetori Academiae Argentoratensis, qui singulis annis tenetur regi Franciae diem natalem

solemnia

solenniter gratulari, testimonio sint D. Dan. S. Opera oratoria, ubi multi panegyrici Ludov. XV. Gallicarum regi dicti a p. 1 – 254. Ea in causa aliud atq; aliud argumentum tempori et loco conveniens seligendum erit, in primis memoria recolere potest quae superiori anno vel principi vel reipublicae acciderint. Si bona, uberrimam laetandi materiam praebebunt. Sin mala, sed feliciter depulsa, sed superata, hoc ipso laetabitur. postrema etiam pars vota et preces continebit, quarum formulam temporum opportunitas unice dabit. Si enim magni quid gesserit princeps, ut perpetua haec ipsius laus et gloria sit, optabimus. Sin adversi quippiam acciderit, ut hujus molestiam sensus leniat Deus hostiumq; consilia frangat voverimus. Exemplum hujusmodi orationis natalitiae est in Claud. Mamertini Genethliaco Maximiano Herculio Dicta p. 25. edit. Cellar.

§ 270. Est etiam copiosum & Nobilissimum gratulationis genus est, cum alicui splendidos honores, in primis regi aut principi imperium seu hereditatis jure seu civium suffragiis consecutum gratulamur. Haec ipsa quoq; gratulatio duabus absolvitur partibus, quarum 1a est laetitiae demonstratio, multum haud dubie gravitatis et fidei habitura si omnes sententias ad dignitatem novi principis adducemus, quam dignitatem pro duplici causa imperii accepti varie illustrabimus. Si judicio et suffragiis populi creatus sit princeps, laudabimus 1o suffragantium concordiam, prudentiam, erga patriam studia, quod adsciverint sibi principem ad tuenda civitatis bona, nobilissimumq; illud libertatis palladium defendendum. deinde praedicabimus ipsum principem, ostendemusq; dignissimum fuisse hac procerum et populi exspectatione alioq; id genus argumentis utemur. Sin princeps hereditario jure acceperit imperium, ita natum ita educatum esse, tot in pueritia et adolescentia exstitisse indolis, benignitatis, fortitudinis, sapientiae et candoris signa edidisse demonstrabimus, ut justa bonorum spes sit, eum in administranda re publica talem futurum, qualem antea cognitum judicarint. Quibus luculenter expositis facilis erit transitus ad alteram orationis partem, quae vota et preces pro inolumitate principis felicitateq; sive imperii sive magistratus ejus faciet. Ubi interdum etiam cohortari quis posset principem, si quis de proceribus sit, eq; suadere, ut diuturnitatem imperii sui non in satellitibus et armatis hominibus, sed in caritate et benivolentia civium quaerat. metum enim et odium malum esse diuturnitatis custodem. Tandem conclusio preces habeat cum ad principem, ut animum constanter erga cives servet, tum ad Deum ut hostium molitiones disturbet, adulantium pestem ab ejus domo depellat, salvum denique principem, salvam conjugem, salvam domum diu rei publicae praeesse jubeat. Venustum hujusmodi gratulationis exemplum dabit egregius

Orator

Orator. I. F. Bergerus in Panegyr. regi Poloniae in ipsis Inaugurationis Sacris dicto in ejus Orat. Lectior. a p. 358.

§ 271. Sunt etiam quaedam &c. In eo tamen orationis genere caute et prudenter est versandum. Si enim principem coram alloquimur, auri ejus parcendum est, ne copiose dicendo eum morari nos velle videamur. multo minus quaestionem universam tractare aut alieni quicquam admiscere licebit, nisi forte ea sit indole et voluntate erga literas ut amplam orationem non gravetur. Aliter vero se res habet in consessu hominum doctorum, ubi et justa oratione et singulari etiam argumento uti licet, sed ita tamen ne a gratulationis causa finita abhorreat. Omnium vero maxime conveniet hoc argumenti genus quod copiosissimis laudibus ejusmodi principis continebitur, et ab omni eruditionis scholasticae ostentatione abhorrens exiet veluti si forma quaedam laudis delegitur; quae est in illa persona principis cui gratulamur uberrima. Si scilicet imago boni, sapientis, fortis; rerum agendarum periti principis sub exemplo ejus qui laudari debet proponetur.

§ 272. Ad reliqua genera &c. Sunt etiam plura alia gratulationum genera, quibus leges et praecepta universae gratulationis jure accommoaveris, tanquam illud quo principi in patriam reditum e bello, et itinere vel aliunde gratulamur, quo spectat μεθοδος προσφωνηματικων apud Dionys. Halic. εν τεχνη p. 37. sqq. Laetitia reditus e bello optime demonstrabitur si vitae discrimen, quod pro salute civium subire non detrectaverat princeps, si varios belli casus, si vim hostium, temporum injurias, nostri exercitus pericula eleganter describeris, ut sic auctor prius metu majorem exultandi de ejus reditu causam habeas. ubi ex itinere reduci gratulamur, mente et cogitatione obire poterimus regiones et urbes, quas salutavit princeps. tum probabiliter exponemus quid viderit, egerit, cogitaverit, quibuscum magnis et sapientibus viris familiariter vixerit, quas res rationesq; ad ingenii cultum futuramq; patriae utilitatem cognoverit. e quibus omnibus jucundissimae spei argumenta ducere augurarique licebit, quot quantosq; etali peregrinatione civitas fructus capitura sit. Atq; hoc orationis genus prudenter ornavit egregius quondam Witeberg. Rhetor I. F. Bergerus, cujus panegyricus in felicem ex itinere reditum Friderici Christiani principis regii dictus legi meretur, qui extat in ejus Orat. Lectior. p. 403 sqq.

§ 273. Ab gratulationis forma ea &c. Abhac gratulationis forma, qua honores et imperium gratulamur, non multum discrepat quo vulgo dicitur Inauguralis oratio sive additialis vel auspicalis. Inaugurantur autem vel personae vel res. homines si inauguramus i. e. certos illis honores jussu mandatuve sive principis sive procerum solenniter deferimus, ipsa rei

natura

natura docet caput orationis esse, ut proponamus ea, quibus maxime opus sit ad munus de quo agitur bene administrandum, simul ipsam muneris dignitatem describamus ostendamusq; difficultatem rei bene gerendae, unde consequatur quanta laude dignus sit, qui eam superet. tum ut doceamus eum, qui inauguratur illis esse rebus virtutibusq; ornatissimum. Altera orationis pars ipsam traditionis formulam continebit, qua hominem inaugurandum in sua quasi sede et muneris specula locamus ubi vel directa, vel si personae hominis dignitas talem recuset, obliqua cohortatione uti licebit, additis simul votis et bonis ominibus ut haec muneris administratio omnibus privatim et publice utilis, ipsi jucunde eveniat, omniaq; ejus consilia, labores, curae bene feliciterq; succedant. Cujus dicendi generis formam optime assecutus est Rhetor Noster in Oratione de Doctrinae accuratae et promtae laudibus inaugurandi Fischeri gratia dicta et inserta Opusc. ejus Orat. a p. 86.

§ 274. Sed est aliud genus &c. Si rem inauguramus velut basilicam, curiam, Academiam, scholam, alia id genus vel aedificia vel musaea, ad tres potissimum argumentorum locos respicere nos oportet. primum ad demonstrandam beneficii tributi et accepti magnitudinem, ad commendationem instituti vel rei quae inauguranda est et denum ad vota et bona omina. Quae quidem omnia ex praeceptis supra illustratis, de laudatione ad paragr. 261, gratiarum actione ad paragr. 262. et gratulatione universa ad paragr. 265. intelligi possunt. Interim si justa oratio postulatur, deligendus est locus communis, quem subministrabit aut vetus aut recentior rerum memoria, item laus et descriptio similis instituti ornati et cum nostro comparari potuerit. De Orationibus vero, quae auspicandi muneris causa recitantur et inauguralium vulgo nomine veniunt hic non opus est quicquam addere, quoniam earum vim et disciplinam jam supra ad par. 264. demonstravi.

§ 275. Sunt et aliae formae &c. Haec per se intelliguntur.

§ 276. Atq; etiam interdum &c. Quoniam tamen ejusmodi subinde orationibus panegyricis respondere mos jubet, in primis huic quae inaugurandi hominis causa dicta fuerat, de hujus responsionis argumento et virtutibus breviter disserendum est. Tales responsoriae orationes non aliam ferme summam habent, quam grati animi fraenem et sponsionem officii. Quomodo vero gratiae agantur satis declaratum est supra ad paragr. 261. nec qua ratione pollicitatio laboris, studii curae institui debeat, monere neglexi ad paragr. 262. Ideoq; superest ut qui pulcherri-

mus

mus respondendi modus sit verbo indicetur. Illa sane responsio mirificam habet gratiam, quae tota ab oratione inaugurantis materiam trahit. fieri enim non composita domi, sed ibi atq; ere nata esse videbitur quod efficere etsi nemo praeterquam hic possit, qui copia rerum abundans quadam usus diuturnitate summam dicendi facultatem assecutus est. quae spectant quae de hac ipsa respondendi virtute jam olim praecepit Quintil. IV. Inst. c. 1.

§ 277. Restat unum genus &c Reliquum est ut de ultima panegyrici generis oratione, quam Graeci λογον ἐπιτάφιον Latini funebrem appellant pauca quaedam subjungamus. Constat autem talis oratio secundum Dion. Halic. in Artis ejus capite quod inscribitur μεθοδος ἐπιταφιων p. 39. Oper. Rhetor. tribus potissimum partibus ἐπαινῳ, θρηνῳ et παραμυθίᾳ i. e. defuncti laude, doloris scaone et consolatione, quibus addidit quartam Rhetor Noster commendationem quippe mortui, sed istae priores tamen in hoc genere dominantur maxime, nec dubitaverim quin Rhetoris Nostri 4ta etiam consolationis officio comprehendi possit. Auspicabimur ergo ab ingenti civitatis et bonorum omnium luctu, cujus magnitudo per sermocinationem conjugis, parentum, liberorum, imo si principi justa funebria solvimus, civium miseratione amplificabitur. Deinceps adjungemus laudes mortui, quae copiose fieri possunt, quanquam haec ipsa argumentorum collocatio non ubiq; certa et perpetua est. In nonnullis enim rerum et personarum casibus exordium ducere possumus a doloris et luctus demonstratione, eiq; laudationem mortui subjungere. Ut plerisq; tamen aptius et ex mente Dionys. Halic. laudes primo loco ponentur, quibus expositis praesertim si vita defunctus multa pro suis, pro patria, pro artium et doctrinarum scientia susceperit, fieri non poterit quin valde opportunus aperiatur locus ad incendendam luctus acerbitatem. tandem epilogus habebit consolationem a beata mortui conditione, a miseriis quas effugit, a providentia Numinis Divini, a superstitum ejus spe, laudibus et immortalitate petitam. Probabilia orationum funebrium exempla dabit Praevius in Oratione XII. XVI. et XVII. Sylloges ejus orationum. item Facciolatus in Oratione XI. ejus Orationum a p. 188. inprimis Jo. P. Bergerus in Panegyr. honori supremo Friderici Augusti Regis Poloniae dicto a p. 312. Orat. Lector.

Finis Partis Imae

De Elocutione

§ 278. Frustra propemodum quis, quid dicendum &c Quanquam rerum inveniendarum scientia Oratorem maxime ornat: non minor tamen, ne dicam praestantior virtus est in ea Rhetorices parte, quam Aristoteles III Rhetor. cap. 1. et passim alibi λεξιν Latini dictionem vel elocutionem vocant. Socrates quidem dicere solebat, omnes in eo, quod sirent satis esse eloquentes secundum Cicer. I de Orat. c. 14. verumtamen Cicero addit, illud verius, neminem in eo disertum esse posse, quod nesciat. tamen etiamsi ignarus rei non sit, non propterea statim sciet polire orationem. Cum autem sit Elocutio idoneorum verborum et sententiarum ad inventionem accommodatio, definiente Ciceron. I. de Invent. c. 7. in eo Oratoris vis cernatur, ea, qua dicenda sunt, varie, copiose, ornate dicere secund. Cicer. II de Orat. c. 27. facile apparet ratio, cur Oratoria facultas non ab inveniendo, sed ab eloquendo nomen acceperit, et cur Oratores itidem ab eloquendo Rhetores appellati fuerint, vid. rursus Cicero in Orat. c. 19. Proinde Jac. Facciolat. clarissimus quondam Patavinorum Orator, haud injuria contendit in Oratione 3tia ad Rhetoricam p. 36. sqq totam paene Oratoris laudem, copia, varietate et ornatu verborum aestimari oportere. Id certe verissimum est, elocutionis rationem uti postremam in arte, sic in exercitatione principem obtinere locum debere. Neq; hic tantum praecepta posse, quantum legendi, animadvertendi, scribendi studia. Stili enim, ut vulgo dicuntur, praeceptiones nihil habent nisi observationem quandam earum rerum, quae in dicendo valent, quae si eloquentes facere possent, quis non esset eloquens? ut recte judicat Cicero II de Orat. c. 57. Imo exercitatio potentissimum est dicendi genus judice Quintil. Libr. II. Instit. Orat. c. 17. Ad hujus vero exercitationis laudem tria potissimum referre soleo. Primum Lectionem 2dum Observationem et tandem imitationem et stilum h. e. exercitationem. Primum Lectio necessaria est, neq; tamen omnes promiscue et sine delectu sunt legendi, propterea haec triplex quaestio nascitur: primum, quinam legendi sint? 2do quomodo? et tandem quis fructus lectionis sit? Ad priorem quaestionem libere respondeo, nullos alios esse legendos, nisi veteres. nam quod nonnullos recens haec lascivia, ut cum Quintiliano loquar Lib. X. Instit. Orat. c. 1. deliciaq et omnia ad voluptatem multitudinis imperita compositia delectant, id saeculi morbo tribuendum est. Neq; tamen e veteribus omnes elocutionis gratia perlustrandi sunt, sed diu, nonnisi optimus quisq; et qui credentem minime fallat legendus. Stultissimum enim esse credo cum Plinio I Epist. Epist. 6. ad i-

rizud

mitandum non optima quaeq proponere. Quis vero in tota Romanorum antiquitate, nobilitate dicendi et urbanitate Ciceronem vincit? id saltem laudis consecutus est Cicero, ut non tam hominis, quam eloquentiae nomen haberetur. Velim itaq omnium hodie aures circumsonet illud dictum Quintiliani, qui profecto quid eloquentia esset, scire poterat, quod hujusmodi est: hunc i.e. Ciceronem spectemus, hoc propositum nobis sit exemplum, ille se „profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Si quaeratur, quomodo legendi sint Veterum Libri in causa eloquentiae, respondeo cum Plinio VII Ep. Epist. 9. „multum legendum esse, non multa, nam turba onerat discentem non instruit, secundum Senec. de Tranquill. Anim. c. 9. Distinguendum enim est inter lectionem humanitatis, et lectionem eloquentiae causa: illa totam vetustatem antiquitatem jubet, modo in Ciceronе et Caesare, modo in Apuleio et Martiano Capella; a Livio ad Ammianum Marcellinum delabi, a Virgilio ad Statium vel Claudianum; a Latinis rursus ad Graecos, a Graecis vicissim ad Latinos decurrere. Sed eloquentiae causa sive unicus Cicero, vel duo tresve summum, tanquam Terentius, Cicero et Caesar legendi sunt, cujus lectionis fructus hic est, ut semper rectum dicendi genus sequamur, nec ulla vel temporum vel causarum varietate ab orationis sanitate divelli nos patiamur. 2do loco Observatio, cujus est videre ne quicquam in lectione praetermittamus, quod ad speciem et formam orationis effingendam maxime profit, idq non incommode efficietur, si ad Ciceronis exemplum aliquid proferendo ingenii periculum faciamus, frequens enim imitatio transit in mores, ut notanter ait Quintilian. 1 Instit. c. 11. 3tio imitatio sive stilus h. e. exercitatio accedat necesse est. Stilus enim optimus et praestantissimus dicendi effector et magister secundum Cicer. 1 de Orat. c. 33. cui Ciceronis judicio jure suffragatur Quintilianus X. Inst. Orat. c. 3. ubi: scribendum inquit quam diligentissime et quam plurimum. Unde simul liquet, non qualemcunq scriptionem sufficere, sed accuratam et emendatam, quae licet te memorem fuisse praeceptionis Horatianae: Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint, scripturus: 1 Satyr. Sat. X. v. 72. Quomodo autem exercitatio instituenda sit omnium optime docebit eloquentiae magister Cicero 1 de Orat. c. 31–34.

§ 270. Et quoniam omnis oratio &c Cum* materia, quam inventio Oratoria amplectitur, in rationibus logicis, moribus ἠθικοῖς, et affectibus cernatur, et ad eas tres res comparata sit dictio, ut docentur, animi ut

concilient-

concilientur, deniq ut moveantur; huc quoq omnem de elocutione praeceptionem conferre placet. Itaq primum de iis elocutionis virtutibus, quae ad docendum valent, solaq propemodum elegantia continentur: dein de ceteris, quae ad motum h. e. ad delectandum et impellendum prosunt, et ornatus copiaeq admirationem habent, dicetur. Unde etiam veritas discriminis inter disertum et eloquentem apparet, de quo supra in Prolegom. Disertis enim satis est subtili et limata oratione dicere quae oporteat, ornate autem et cum verborum majestate dicere, non nisi eloquentis esse solet. Legatur omnino prooemium Quintil. Lib. VIII. Instit. paragr. 13.

CAPUT I.

De Elegantia

§. 280. Elegantia orationis respondet &c Prima elocutionis virtus est elegantia, per quam Latini veteres nihil aliud intellexerunt, nisi accurationem et subtilitatem, ita philosophorum doctrinae elegantia tribuitur, in qua subtilitas et acumen inest apud Cicer. 1. de Orat. c. 2. qui in Epicuro subinde disserendi elegantiam h. e. subtilitatem desiderat. Iam cum in artibus elegantia eadem sit, quae subtilitas, facile intelligitur ratio, cur in dicendo elegantiam non de ornatu illo oratorio et magnifico, sed de pura et incorrupta loquendi consvetudine acceperint, qua Terentius in Fabulis suis, Cicero in Libr. Philosoph. Caesar in Comment. et alii usi sunt. Non ipse Cicero elegantiam verborum ab ornatu et copia secernit, cum Caesarem ait ad elegantiam verborum Latinorum adjunxisse illa oratoria ornamenta dicendi in Bruto c. 75. Planissime autem elegantia describitur a Magist. Herenn. IV Rhetor. c. 12. ubi, elegantia, inquit, est, quae facit, ut unum quodq pure et aperte dici videatur. haec distribuitur in Latinitatem et explanationem h. e. ut Rhetor Noster loquitur in puritatem et perspicuitatem, quibus duabus partibus idem tertiam admiscuit venustatem sive urbanitatem, in qua sane omnis loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia regnat.

§ 281. Puritas, quae in Latina Lingua &c Oratoris sane dictio esse debet emendata et pura, neq enim conamur dicere, eum dicere, qui loqui nesciat, nec sperare, qui Latine non possit, eum ornate unquam dicturum esse. Puritas autem quae in sermone Latino Latinitas, in Graeco ἑλληνισμὸς vel ἀττικισμὸς vocatur, vocabula et locutiones servat, quas nemo jure reprehendat, et ab omni vitio remotas. Cujusmodi vitia in sermone Latino, quo minus is Latinus sit, sex possunt esse. 1um barbarismus. 2o Soloecismus. 3o archaismus. 4o innovatio, sive Graece ὀνοματοποίησις 5to peregrinitas. et 6to

qui Graec

qui Graecis dicitur κοινόβιος, qui tum demum locum habet, si quis sublimia tenuibus, poëtica vulgaribus misceat. Et Latinitas quidem vocabula respuit barbara et soloeca, quoniam oris Latini sensum non habent, et praeceptis Grammaticis refragantur: tum obsoleta, novata et peregrina, quoniam a consuetudine loquentium populari, utpote certissima verborum magistra abhorrent: inaequalia denique sordida et plebeja, quod urbanitati bene natorum et educatorum auriumq; castitati adversantur.

§ 282. Est autem barbarismus & Primum barbarismi ac Solecismi foeditas absit praecipiente Quintiliano 1. Instit. c. 5. Altera spectatur in verbis simplicibus, altera in conjunctis. Vitium quod est in singulis vocabulis dicitur barbarismus, cum vel tota sunt a barbaris gentibus ducta, formamq; habent repugnantem legum illius sermonis similitudini. Confluxerant autem jam olim, successu temporis uti Athenas, sic in urbem Romam multi inquinate loquentes ex diversis locis vid. omnino Cicero in Brut. c. 74. multi etiam seriori aetate extra Romam in provinciis nati ad scribendum appulerunt animum, qui sermone Latino usi eundem passim aliqua barbarie domestica infuscabant. Quare cum ista cadentis Latinitatis oratio expurgari debeat, adhibenda est ratio usus, quae mutari non potest, optimae aetatis Scriptorum. videndumq; quid notatio sive causa nominis postulet, quid etiam rectus vocum sonus vid. Cicero III. de Orat. c. 11 et 12. Solocismi vitium ex pluribus una vocibus est, et in verborum comprehensione accidit, cum aut genere peccatur, tanquam, Platanus ramis diffusus, pro diffusa, Aegyptus credulus, pro credula: aut numero, ut si, Tempe, adjunctum singulare tribueris, qui memorabilis solocismus est in titulo Libri hodierni, qui inscribitur: Tempe Helveticum. aut casu aberratur, tanquam cum responsio ab interrogatione discrepat, veluti si interroganti: quem video, ita quis responderit: ego. qualem solocismum videt Quintil. 1 Instit. Orat. c. 5. aut praeposteris temporibus modisve, de quibus singillatim nox. aut confusis personis, veluti si particulae: equidem addideris secundam tertiamve personam verbi: equidem dixisti, equidem scripsit, quod sanae rationi, optimisq; Scriptoribus, Ciceroni, Virgilio, Livio et aliis repugnat. equidem enim est, ego quidem vid. Servium Grammat. ad Virg. 1. Aeneid. v. 576. aut perturbato ordine scribitur, tanquam, quoq; ego, pro ego quoq; vel: enim hoc voluit, pro: hoc enim voluit vel: autem non habuit pro: non autem habuit vid. rursus Quintil. 2 Instit. Orat. c. 5. paragr. 39. Nemo autem exspectet, hoc loco a me omnes barbarismos vel solocismos enarrare, quod nimis longum. ex post diligentiam S. I. Vossii in de Vitiis Sermonis Amstel. 1645 quaternis editis Libris; Joh. Vorstii de Latinitate falso et merito suspecta Lipsiae 1652. octonis, in primis J. Fr. Noltenii in Lexico Antibarbaro Lipsiae duobus Codicibus

bus, opera non necessaria foret.

§ 283. Duo genera sunt & Extant tamen duo potissimum in temporibus et modis solocismorum genera, quae tanto sunt diligentius* cavenda, quo frequentius ea in re et paene sine ulla Grammaticorum scripta lege labi soleant hi, qui vernacule potius Dialecti, quam Romani oris sensum dicendo et scribendo effingunt. In temporum autem usu si peccetur, aeq vitiosum id Romanis visum fuisse, quam si quis genere et casu aberraret, ex eo intelligitur, quod Cicero omnia ejusmodi peccata pari loco et numero habuit. Nam ut Latine, inquit, loquamur, videndum est, ut verba, sii et casibus, et temporibus, et genere et numero conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit III. de Orat. c. 11. Igitur in temporum vitio, eadem pravitatis deformitatisq; ratio inest, qualis in casus et generis mendo. Quod tamen hodie ne attendunt quidem hi, qui Latine se scribere posse existimant. Sit autem in temporibus accurata et legitima consecutio, ut post praeteritum, imperfectum ponatur, ita: fuerunt ea tempestate, qui dicerent apud Sallust. in Catilin. c. 22. haec habui de amicitia quae dicerem apud Cicer. in Lelio c. 27. ita sum cum illo locutus, ut mihi viderer, (: non ut visus fuerim:) animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam traducere apud Cicer. 1. ad Divers. Epist. 2. et: nihil habui quod in universum praeciperem, non praeceperim apud Quintil VII. Instit. Orat. c. 1 paragr. 63. Porro ut futurum tempus, praesens sequatur, tanquam in illo vulgatissimo Corn. Nepotis in Praefat. non dubito fore plerosq; qui hoc genus Scripturae leve judicent. Item: ut in perpetua pace esse possitis (: non poteritis:) providebo apud Cicer. III. Catilin. c. 12. Tum ut rectam temporum virtutem servemus, ne imperfectum cum plusquamperfecto misceamus, veluti si pro his Ciceronis, pro Sextio c. 65. qui cum regum potestatem non tulissent, ita magistratus annuos creaverunt, et pro Coelio c. 6. neq unquam tam conscelteratus impetus extitisset, nisi tot vitiorum immanitas patientiae radicibus niteretur; quis ausit substituere, ferrent, et extaret. Aut futurum Indicativi pro futuro Conjunctivi usurpemus, tanquam: cum veniet, pro venerit. vel si omnia Subjunctiva, qualia extant apud Cicer. 1 de Legib. c. 22 et 23. cum se ipse perspexeris, totum tentarit, intelliget, cum animus a corporis obsequio discesserit, voluptatem oppresserit, et reliqua in Indicativa commutarentur, quae quidem omnia tametsi generatim explicatu sint difficilia, accurate tamen legentibus ob-

servan-

servatu erunt facillima. Interim de temporum vi et ratione opera pretium erit, qua Sam. Clarkius ad Homeri locum a Rhetore Nostro laudatum eleganter et docte animadvertit. In Epistolis etiam cum sermo est de rebus ante transituris, quam ad eum, cui scribimus littera perferantur, perfecto vel imperfecto locus esse debet, veluti: rem te valde bene gessisse rumor erat, non rumor est, expectabantur littera, non expectantur apud Cicer. 1 ad Divers. Epist. 8. cupiebam (non cupio) me hercule longiorem epistolam facere apud Cicer. VI ad Attic. Epist. 5. in fine. item: hae ad te scripsi, non scribo, ne locus ipse admoneret 2 ad Attic. Epist. 8. similiter: hae festinans scripsi VI. ad Attic. Epist. 4.

§ 284. In modis porro videbimus. Praeterea in modis cavendum est, ne particulis, et relativo qui. Indicativum subjungamus, praesertim iis in locis, ubi Conjunctivi vel accusativi cum infinitivo antegressi fuerint. item, ubi verbum Substantivum praedicati vim habens, praecesserit, tanquam: plerique sunt, qui dicant, non dicunt, exemplo Livii XXVI: 49. ita: sunt, qui rebus urbanis bellicas anteponant. exemplo Cicer. 1 de Offic. c. 24. Interim ne quid dissimulem, occurrit locus contrarius apud Cicer. III. Tusc. Quaest. c. 31. sunt, qui abducunt (pro abducant) a malis ad bona. aut si in reperire et habere, praedicati et causae vis inest, ut: neutrum cur affirmem, habeo apud Liv. XXX: 29. Sic: reperisti tibi, quod placeat, non placet. apud Terent. Heauton. III: 3: 38. Quae quidem monere opus non esset, nisi etiam nunc nonnulli in promiscuo Indicativi ac Conjunctivi usu aberrarent. Majus vitium committitur in particulis: quanquam, etsi, cum. quibus multi abuuntur hodie, veluti, cum particulis, quanquam et etsi sua natura nihil Subjunctivi habentibus, a principio, in oratione recta verbi Conjunctivum tribuunt, quae tamen particulae frequentissime cum Indicativis nectuntur, veluti: quanquam satis iis, qui aderant dictum videbatur, non videretur apud Cicer. 1. de Orat. c. 35. Similiter: quanquam abest a culpa, suspicione tamen non caret apud Cicer. pro Rosc. Amer. c. 20. Sic: etsi egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum apud Cicer. V. ad Divers. Epist. 18. etsi non dubitabam, pro non dubitarem apud Cicer 1. ad Q. Fratr. Epist. 1. Plura exempla dabit Laur. Valla II. Elegant. c. 21. Eodem pacto peccant, si cum, causali verbum Indicativum addunt invita elegantiorum hominum Latinitate. ita enim: cum omnium bellorum exitus incerti sint apud Cicer. VI. ad Div. Epist. 1. atq. hoc pacto sexcentis in locis. Aliquin notum est particulam cum, ubi temporis notam habet Indicativo re-

cte jungi, tanquam: esti cum hæc ad te scribebam aliquid actum et confectum videbatur apud Cicer. VI. ad Divers. Epist. 21. ita: vix annus intercesserat cum iste accusavit Norbanum II. de Orat. c. 21. Ingens quoq; ut hoc addam Conjunctionis quod, hodie corruptela esse solet, hac enim vulgo utuntur ubi Accusativus cum infinitivo locum habere debuerat. Sapissime enim post verba, audire, credere, scire, cognoscere, sequi, conjunctionem quod collocare solent. v. c. audivi quod accusat, pro audivi eum accusare, verum est quod scripsit, et sic in ceteris; longe omnium valde intolerabile est, cum ajunt, sequitur quod id verum sit, cum dicere deberent: sequitur ut, vel usurpare deberent Accusativum cum Infinitivo. Hanc vero vitiosam rationem usus jam ostendit Sepnerus in Fabri Thesaur. ad vocem quod.

§. 285. Hoc quoq; tenendum est &c. Ad id quoq; animum advortere oportet Latinitatis studiosum. 1um ne omnes verborum modos usurpet, qua eleganter loquentibus in usu non fuerunt, quanquam quo minus extarent Grammaticarum legum similitudo non impediebat. Etenim a ferio non est ferii et feritum, vel a timeo, timitum et timiturum, ideoq; eorum loco, vel alia verba, ut percussi percussum, vel circumlocutionem adsciscunt, puto fore ut timeas, pro te timiturum esse. Sic a taceo esti est tacitum; in conticco tamen et reticco supina negligunt. Similiter a censeo non est censitus aut recensitus, sed census. 2do ne in verbis substantivis omnes numerorum et casuum formas, quarum nonnullae elegantioribus displicuerunt, usurpet. Sic hodie nihil vulgatius quam quod Batavi dicunt multitudinis numero konsten, Weetenschapen etiam Latinos dixisse existimant, artes et scientias, cum legitimus Latinitatis usus postulet, ut quis dicat, artium scientia. Eodem pacto veteres non dixerunt, veritates, antiquitates. Sic Latini nunquam dixerunt veritates aut antiquitates, sed veri rationes, et antiquitatis disciplinam vel antiquitatem. Eodem pacto Cicero in Topicis c.7. noluit ne si Latine quidem dici posset, specierum et speciebus dicere, [: sepius vero his casibus utendum erat :] sed formis et formarum maluit. Simili ratione nonnulla ab urbanis hominibus plene, nonnulla imminute dicebantur, velut, triumvirum, pro triumvirorum; sestertium numum pro numorum vid. Cicero in Orat. c. 46. Ceterum aliunde satis constat, Grammatice loqui et scribere interdum nihil minus esse,

quam

quam Latine loqui, ipso auctore Quintil. I. Inst. Orat. c. 6. non invenuste, inquit, dici videtur, aliud esse Latine, aliud Grammatice loqui. atq; praeclarus Patavinorum Orator Facciolatus bene demonstravit in Oratione 1a ad Grammaticam, Latinam lingvam non esse ex Grammaticorum Libris comparandam.

§ 286. Obsoleta porro verba fugienda sunt &c Tertium Latinitatis vitium est Archaismus, cum priscis ferme obsoletis et antiquatis utimur verbis et locutionibus, a quibus merito abstinendum est. Cum quod ab usu quotidiani sermonis jam diu intermissa sunt, tum quod perspicuitatem impediunt. Oratio enim cujus summa virtus est claritas, fit vitiosa si egeat interprete secund. Quintil. I. Inst. Orat. c. 6. Ejusmodi verba et locutiones ab ultimis repetita temporibus Sophistis placuerunt, sed elegantibus tamen minime probabantur. hinc Cicero in propriis, inquit, verbis est illa laus Oratoris, ut obsoleta fugiat III. de Orat. c. 37. inde quoq; Augustus cacozelos et antiquarios ut diverso genere vitiosos fastidio sprevit secund. Sveton. in August. c. 86. Hujusmodi remotissime antiquitatis vocabula ex instituto recensuit Janus Laurenbergius in Antiquario Lugduni 1622. quaternis. Sunt autem obsoletorum vocabulorum duo genera; unum, quod etsi a consuetudine loquendi remotum sit, tamen doctis obscurum esse non potest. alterum ita obliteratum et horridum, ut ne a doctis quidem satis intelligatur, quod sane prorsus negligi debet. Ex illo tamen priori, si quid assumat sibi, non oratio popularis, sed carmen, sed liber doctrinae causa scribendus non prorsus reprehendi debet. Primum enim inusitata et prisca Poëtarum licentia liberiora sunt, quam orationi judice Cicer. III. de Orat. c. 38. hisq; ornamentis non raro usus est Virgilius antiquitatis studiosissimus. Deinde in artium aut doctrinarum Scriptore ferri possunt vetusta rerum vocabula, cujus rei causa proderit legere elegantem Ausonii Popmae Libellum de usu antiquae Lectionis.

§ 287. Contra esse putet aliquis &c Quartum puritatis Latinitatisq; vitium infelici partu edit innovandi libido. At enim inquiunt fautores innovandorum vocabulorum, si obsoleta repudiat elegans oratio, saltem nova, utpote obsoletis contraria non aversabitur, praesertim si nova vocab.

va vocabula rerum novitas jubeat. cum enim idem jus sibi sumserint Cicero et Horatius, nullam se videre rationem clamitant, cur hoc jus ipsis hodie negetur. Fundus auctoritatis Ciceroniana est in 1 Acad. Quæst. c. 6. et in Horat. Art. Poët. v. 58. ubi, sic, inquit licuit, semperq; licebit, signatum presente nota producere nomen. Verum quidem est Romanos interdum sermonem patrium novis vocabulis locupletasse, sed constat quoq; tribus se legibus astrinxisse. 1mo Summæ necessitatis. 2o Verecundiæ et pudoris. et 3o usus scribendi genere inprimis æstimandi. Prima lex erat necessitatis, quam ipse Cicero agnoscit 1. Acad. Quæst. c. 7. ubi, audebimus, inquit, novis verbis uti, sed illico addens: si necesse erit. et Horat. in Art. Poët. v. 48. si forte necesse est. De necessitate vero effingendi nomina nemo judicare potest, nisi peritissimus quisq; qui omnes Latini sermonis vias subtiliter tenet, et in veteribus scriptis multum versatus est, cujusmodi fuit Cicero, talis etiam Horatius. Verumtamen quis hodie sibi hanc scientiam arroget, ut in omnibus, quid cuiq; rei proprium sit, quid novi, et quomodo formari debeat, ex sensu oris Latini æstimet? Sane in tot formas oratio Latina formari potest, ut nihil pæne sit, quod non Latine reddi, aut propriis, aut verecunde translatis possit, neq; quicquam facile hodie dicitur, quod non dictum sit prius, modo diligenter legerentur veteres Christianorum Theologi, Tertullianus, Minucius Felix, Lactantius; in JCtis, nobilissima fragmenta JCtorum in Pandectis; in Medicis, Celsus, Plinius, aliq; id genus; in Philosophis vel Cicero solus et Seneca, item Plinius. nam quod doctorum hominum vulgus, terminos technicos h. e. rerum vocabula cuicunq; doctrinæ priva causatur, id quidem nihili est. eorum certe copia non laboraremus, nisi etiam nunc accideret, quod in Rhetoribus Græcis olim vituperavit Quintil. Lib. II. c. 15. pravum quoddam studium regnat, nihil iisdem verbis, quæ prior aliquis occupavit finiendi. Imo illorum novatorum aures circumsonent Magni Vossii verba, qui Instit. Orat. Libr. IV. c. 1. pag. 6. jubet in ultimas deportari terras inquinatam illam scribendi rationem, quæ in Philosophis pro subtilitate, in Medicis pro utilitate, in JCtis pro prudentia, in Theologis pro pietate habetur. Altera lex est pudoris et verecundiæ, quid enim Cicero? quam leniter, quam caute, et nisi de Græco fonte ducta, et cum excusatione

quadam

quadam effingit vocabula, mox enim ait: dabitis profecto, ut in rebus inusitatis, quod Graeci ipsi faciunt, utamur verbis interdum inauditis 1. Acad. Quaest. c. 6. mox addendo: faciamus tractando usitatius hoc verbum et tritius ibid. c. 7. mox addendo: ut hoc verbo utar. Eandemq; verecundiam commendat Horat. in Art. Poët. v. 51. dabitur licentia sumta prudenter, et mox: si Graeco fonte cadent parce detorta. Tertia lex est usus, cujus duplex est ratio, vel communis vel Schola. Quoad communem negari non potest verborum jus a consuetudine et usu sumi, ita recte inquit Horat. in Art. Poët. v. 71. si volet usus, quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi. Verum quinam sunt Latini usus domini? nulli alii, qui eo tempore vixerunt cum privatim et publice, domi et foris omnes Latine loquerentur. Scio quidem, quid hujus rei imperiti saepe obvertant miseris suae Latinitate: verba valere, ut numos, pro quo uti deberent: utendum plane sermone ut numo, cui publica forma est, ut loquitur Quintil. 1. Instit. Orat. c. 6. Sed id ipsum argumentum retorqueri et ostendi potest, nobis Latine scribentibus proprie jus nullum esse novis vocabulis ditandi sermonem Latinum, cui aeq primus, quam numis Romanis publica nunc superest forma. Quod ad Schole usum attinet, sciendum est, licere quidem artium scriptori, raro tamen et parce, nec sine idonea causa verbis in docendo quasi privatis h. e. populo incognitis uti, sed ea tamen ad popularem orationis habitum traduci minime posse, refragantur enim dicendi fines, intercedit etiam Ciceronis auctoritas. Interim manet verum esse quod scripsit Quintil. Libr. VIII Instit. c. 6. ὀνοματοποιία quidem i. e. fictio nominis, Graecis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur.

§ 288. Sed nobis hic sermo maxime est &c. Quod ad rationes Latini sermonis hodie regendas attinet, ex superioribus satis intelligitur, nihil proprie nos fingere posse, utpote qui nec oris Latini omnes species et formas ita tenemus, ut quid sensus ille ferat, quid repudiet, quid audendum sit perfecte intelligamus, nec consuetudinis, quae sola est dicendi magistra dominii esse possimus, ideoq; Latinitatem totam ad legitimae antiquitatis exemplar conformare nos oportet. Per legitimam antiquitatem intelliguntur vulgo Terentii, Ciceronis, Nepotis, Caesaris, poëtarumq; trium virorum tempora. Sed quid fiet, inquiunt, rursus, novorum vocabulorum fautores et opifices tot rebus, quas vel aetas illa ignoravit, vel temporum nostrorum toties jactata felici-

tas

tas invenit, quibus erunt illa nominibus appellanda? qui scrupulus aliter eximi non potest, nisi distinguendo inter simplicia vocabula et conjuncta. Si res, aurea illa aetate, quam vocant, incognita, suis sint notandae verbis, non ausim equidem illam Ciceronianorum morositatem et superstitionem imitari, qui in singulis etiam vocabulis ita Ciceroni adhaerent, ut posterioris aevi Scriptorum omnia fastidiant. Ridiculus certe sit, necesse est, qui religioni sibi duxerit, in Theologicis Tertulliani, Minucii Felicis, Lactantii, Hieronymi, Augustini, in Jaridicis D̄torum posterioris aevi, tanquam Ulpiani, Paulli, Papiniani et aliorum, in Medicis Celsi, Scribonii Largii, Sereni Samonici, in Philosophicis et Mathematicis Senecae, Plinii, Fellii, Censorini et Macrobii verbis uti, si meliora in Cicerone ejusq; similibus defecerint, quo quidem nomine illos Ciceronianos, vel si mavis Ciceronis simios recte vituperavit, faleq; perfricuit D. Erasmus in Dialogo, qui inscribitur: Ciceronianus s. lectu dignissimus:) Imo non dubitaverim concedere aliquid novi hic audendum esse, si res ita postulet, nec ullum nominis alicujus in legitima antiquitate vestigium exstet, quod commode transferri possit, dummodo legum, quas antea posui necessitatis et verecundiae ratio constet. Qua de re tota egregie scripsit Quintus Marius Corradus, homo Neapolitanus seculo XVI^to^ clarus, nec cum Sebast. Corrado, auctore quaestore Ciceroniano (: qui multa lectu jucunda habet; ut fieri passim video, confundendus:) in Libro de Copia Lat. Sermon. Venetiis edito 1582. octavis. In conjunctis vero vocabulis h.e. formularum et locutionum collocatione longe aliter se res habet. hic enim aliquid architectari, vel orationis continuationem et quasi colorem ad posteriorum temporum exemplaria effingere, id quidem vitiosissimum censeo.

§. 289. Peregrinitas est, cum verbis utimur &c. Quintum Latinitatis vitium cernitur in peregrinitate, cum verbis utimur ex alius oris consuetudine, cujus ratio duplex est; vel in singulis, vel in pluribus verbis notata. In simplicibus cum aut servamus vocabula Graecis aliisq; gentibus propria secundum Quintil. 1. Instit. Orat. c. 5. tanquam e Graecis metropolin, monopolium, emblema, alia id genus. atqui vero Tiberius Imperator monopolium nominaturus, prius veniam postulavit, quod sibi verbo peregrino utendum esset, atq; etiam cum in quodam decreto patrum emblema recitaretur,

commut.

commutandam censuit vocem, et pro peregrina Latinam requirendam ut auctor est Sveton. in Tiber. c. 71. Vel cum scãones tribuimus a simili aliis Lingvæ verbo mutuatas, veluti Latinorum amare, perfecte quidem Graecorum φιλεῖν imitatur, sed id ipsum φιλεῖν praeter hanc scãonem etiam nim τῦ solere habet, tanquam φιλει γινεσθαι apud Thucyd. III. de Bell. Peloponn. c. 42. quam si ad Latinum amare transferas, dicasq; ita in tali re: fieri amat, pro solet, peregrinitatis vitium non effugies. vel sic tamen eo sensu non raro occurrit apud ipsos Latinitatis auctores, sed potissimum poëtas, qui sepius Graecismis uti solent, tanquam apud Horat. III. Carmin. Od. XVI ℣ 9 et 10. aurum, inquit, per medios ire satellites et perrumpere amat saxa. In conjunctis autem verbis sive formulis peregrinitate nectitur oratio, si copulatione utaris alii Lingvæ propria, velut cum adjuncta verborum Substantivorum, Genitivos, Accusativos, vel Infinitivos regere jubeas. Genitivos, tanquam, ferox scelerum, pro sceleribus apud Tacit. IV. Annal. c. 12. Accusativos, velut os humerosq; Deo similis, pro ore et humeris apud Virgil. I. Aeneid. ℣ 589. Infinitivos, ut, audax omnia perpeti apud Horat. I. Carmin: Od. III. ℣ 25. et: cereus in vitium flecti apud eundem Art. Poët. ℣ 163. quæ omnia Graeca sunt, non Latina proprie.

§. 290. Quod autem veteres &c. Cur autem Veteres Latini Scriptores Graecam loquendi consuetudinem imitati sint, ratio potissimum haec est: majorem Lingvæ suæ partem a Graecis acceperunt Romani, quod non solum Varro passim in Libris de Lingva Latina, praesertim Libr. V. c. 20. aliquot illustribus exemplis approbat, sed etiam testatur Quintil. I. Instit. Orat. c. 5. maxima ex parte, inquiens Romanus inde conversus est. Quæ vero Graecorum Dialectus nominatim Latinae Lingvæ procreatrix fuerit, non obscure intelligitur ex Dionys. Halicar. Lib. I. p. 76. media. (Aeolica:) Quicquid sit, hoc tamen constat, Linguam Latinam haud dubie ortam esse maxime e Graeca, sed antiquissima, tanquam Pelasgorum argum. Dionys. Halicar. Libr. I. Archaeol. p. 24. postea Colonorum Evandri Arcadis, argument. ejusd. Dionys. Libr. I. a p. 35. adeoq; verissime idem Dionysius judicavit, Romanorum progenitores non barbaros sed Graecos fuisse Libr. VII p. 474. Hinc non modo pervetustis temporibus pueri Graecis Litteris eruditebantur, exemplo Romuli et Remi apud Dionys. Halic. Libr. I. p. 71. sed etiam posteriori aetate Grammatici et Rhetores a Graeco sermone tirones suos ordiri jusserunt, veluti Quintilian. Libr. I. Instit. Orat. c. 1. Ne tamen haec oris Graeci imitatio oratio-

nis pers

nis perspicuitatem impediret; major sane libertas poëtis data est, quam rerum Scriptoribus vel Oratoribus. Poëtarum enim carmina non tam a vulgo, quam a doctis hominibus et Graecarum Litterarum peritis legi solebant: horum vero oratio h. e. historicorum et Oratorum populari magis assensioni accommodari debebat. Hinc etiam Dan. Wegnerus in praeclara sua Hellenolexia plerasq; Graecismorum exempla collegit ex poëtis. Proinde diligenter animum nos advertere oportebit, qui hujus licentiae fines in utroq; dicendi genere, poëtico an vulgari fuerint, ne peregrinitatis vitio peccemus.

§ 291. Sed puritatis est, etiam in iis &c Sextum Latinitatis vitium est in κοινίσμῳ, cum vocabulis et locutionibus promiscue et sine omni delectu judicioq; utimur. Cujus κοινίσμος duplex est ratio, cum vel sordida honestis, plebeja elegantibus; vel poëtica vulgaribus, vetera novis, omninoq; diversos in scribendo dicendoq; characteres et formas miscet. Rectissime sane Caesar in Libro 1. qui periit, de ratione Latine loquendi apud Ciceronem in Bruto c. 72. dixerat: verborum delectum originem esse eloquentiae. Et primo quidem vitanda sunt verba sordida, quibus vel natura, vel casus, vel compositio turpitudinis maculam asperxit. Primum voces natura sua turpes sunt, quae rei obscoenitatem deformitatemq; notant, velut, anus, urina, feces, membrum, ructus, crepitus, aliaq; id genus, quarum meminit Cicero in Epist. ad Paetum obscoenorum plenissima vocabulorum IX. ad Divers. Epist. 22. Casu et junctura sunt sordida, quoniam in obscoenum possunt sensum detorqueri, velut, inire, intercapedo nominandi casu, cum notis hominibus loqui, nisi enim hoc ipsum, hominibus, inter, cum et notis medium esset, coeuntibus labris ederetur cunnotis, quod honestis Romanorum auribus displicebat. Eadem verecundiae ratio jussit olim, mecum et nobiscum scribi, non cum me et cum nobis, quia si ita diceretur obscoenus littera concurreret. Fundus hujus observationis est in ipso Ciceronis Oratore c. 45. contra quem locum nuper Schellex qui praecepta Stili bene Latini dedit contra argutar Part. I. c. 3. Videant ergo veterum Librorum editores, an ab hac obscoenitatis junctura sibi caverint, cum in limine tot splendidarum editionum jactant se v. c. Quintilianum, Suetonium c. n. v. illustrasse. De his similibusq; qua conjunctione, divisione, sensu fiunt κακόφατα multa habet Quintil. Lib. VIII. Instit. c. 3. Sordidis autem vocabulis in oratione erudita nunquam locus esse debet, ut idem

air Quin.

ait Quintilianus loco ante modo laudato.

§. 292. Aliud genus est verborum &c. Est etiam aliud verborum genus, quod res quidem honestas amplectitur, et hactenus nihil offensiunculæ habet: caeterum ab infima plebe rusticanis, aliisq; abjecta sortis hominibus sumtum in humilitatis vitium incurrit, quo rei magnitudo vel dignitas minuitur; atq; his quidem in oratione gravi abstinendum est, nisi sint ejusmodi, ut immutata vel gratiam et vim perdant, vel locus et tempora iis uti jubeant, in hac enim causa etiam protrita et de medio sumta exquisitis illustriora sunt, rectèq; vel ornatus vel loci causa ponuntur vid. Longinus Section. 31. περὶ ἰδιωτισμῶν h. e. de verbis vulgaribus, ubi ait de eo, qui injurias sordidi et nequam hominis voluntaria oblivione conterat et conculcet eleganter dici posse: τὸ ἀναγκοφαγεῖν τὰ πεπραγμένα, quod profecto idem est, atq; illud Ciceronis a Rhetore Nostro laudati: dudum circumrodo, quod devorandum est. Sic locutio haec, scopas dissolvere adeo familiaris est hodie, ut ne sentiant quidem aliquid humilis et abjecti inesse, verum legant, quanta cautione, qua premunitione eadem utatur Cicero in Orat. c. 71. sed, ait, ut in proverbio est, essi humilius dictum est, tamen simile est, scopas, ut ita dicam, mihi videntur dissolvere.

§. 293. Est quoq; cavendus is, quem &c. Maxime vero κοινὸς nomine venit talis scribendi ratio, quæ uti apud Graecos varias dialectos, tanquam Atticis, Dorica, Ionica et Aeolica confundit dicta secundum Quintil. Libr. VIII: 3. pag. 59. sic apud Latinos diversarum artium Scriptorum aetatumq; vocabula et formulas miscet. Primum igitur genus est, quod artium vocabula popularibus, poëtica, philosophica, alia, ad eum modum vulgaribus crebro aspergit. unaquæq; enim ars suum quasi orationis et verborum colorem habet: tanquam Poësis alia velut lingua quadam loqui solita, judice Cicerone II. de Orat. c. 14. philosophia angustis et concisis disputationibus illigata, ceteraq; artes suis nitescunt formulis, quibus suo loco si utaris, recte facies; in omni alio scribendi genere, perverse. Summo autem jure recentiores et suae aetatis Scriptores, Sophistasq; Lucianus non uno loco notavit, velut in Lexiphane cap. 22 sqq. p. 347. Tom. II. edit. novist. quod beatissimos se scribendi artifices tum demum esse putarent, cum orationem quasitis Poëtarum et Tragicorum floribus, tanquam stellulis illuminarent. Hujus etiam vitii hodie rei sunt permulti, qui, ut eleganter scribere videantur, malunt subinde cum Juvenali, Statio, Claudiano poëtice, quam cum Cicerone ejusq; similibus humane loqui. Praeterea uti incorrupto eloquentiae judicio valde inimicum esse antea demonstravi in oratione popu-

lari

putari verbis uti recens procusis, et ad usum Scholarum inventis: sic in universum peccant hi, qui philosophis aliisq; artium et doctrinarum magistris propria vocabula ad usum sermonis vulgaris traducunt. Cicero quidem minime vulgi vocabula in philosophicis et rhetoricis usurpavit, velut: qualitates, quas Graeci ποιοτητας vocant 1. Academ. Quaest. c. 5. beatitatem et beatitudinem 1. de Nat. Deor. c. 34. speciem pro Platonis ἰδεα 1. Acad. Quaest. c. 8. visum pro Graecorum φαντασία 1. Acad. Quaest. c. 11. notionem pro Graecorum ἔννοια in Topic. c. 7. indifferens, quod Graeci ἀδιάφορον dicunt III. de Fin. Bon. et Mal. c. 16. Sed haec ipsa vocabula orationibus et epistolis suis nunquam asperſit, nisi forte ad philosophum scribens de doctrinarum subtilitate philosopharetur.

§. 294. Alterum genus κοινόβιον latius patet, &c. Alter κοινόβιος i. e. commixtio aetatum et Scriptorum longe vulgatior est, rarog sibi ab hoc cavent, qui illud primo κοινόβιον genus fugiunt. Enimvero ipsa natura et ingeniorum mira varietas nos docet, non eundem omnis aevi quasi vultum, nec eandem saepe unius aetatis Scriptorum indolem esse: propterea unam et eandem scribendi formam in omnibus aetatis et Scriptorum monumentis esse nullo modo posse. Mox enim vivendi consuetudo, mox studiorum dissimilitudo, mox ipsa rei publicae tempora, alium in his, alium in aliis dictionis colorem et speciem effingebant. Neq; hoc in Graecis, quam in Romanis evenit minus: uti enim apud Graecos, qui a Socratis, belli Peloponnesiaci temporibus usq; ad Alexandri Magni aetatem floruerunt: sic apud Latinos, qui a bello Punico 3o usq; ad Octavianum Caesarem ingenio et scriptis clari fuerunt, alia prorsus orationis forma usi sunt, quam hi, qui post illam tempestatem ad scribendum animum appulerunt. De eminentium apud Graecos Romanosq; in quag operis forma ingeniorum aetate legi meretur Vell. Paterc. Lib. 1. c. 16–18. Immo ne hoc quidem temporis tractu, quo in summum culmen pulcritudinis artes evaserant, tanta fuit usquequag ingeniorum convenientia, ut alterum ab altero nulla re discreparet. Aliud certe optimi simulacrum, quod Graeci χαρακτηρα vocant in Cicerone, aliud in Caesare, aliud in Nepote, aliud in Livio cernitur, unde legentibus contendentibusq; apparebit, ne hos quidem, quos nominavi una orationis forma aestimari posse.

§. 295. Hos inter se commisceri &c. Sane in hoc vitium incidunt, qui doctrinae et eruditionis comparandae causa omnia legunt sine delectu. Verum uti supra demonstravi, duplex lectio est vel humanitatis vel eloquentiae causa. prior omnium Librorum veterum rationem habere jubet; altera

non nisi

non nisi optimorum. vid. oīo Jac. Facciolat. in Orat. (: cultissima :) 2de ad Humanitat.

§ 296. Et hæc quidem de vitiis &c. Hactenus de vitiis in Latinitate fugiendis. Tametsi vero non magna laus sit vitare vitium judice Cicer. III. de Orat. c. 37. tamen secundum Horat. I Ep. Ep. I ✗ 41. Virtus est vitium fugere et sapientia prima stultitia caruisse. Sunt autem ejus generis virtutes in eloquentia vel naturæ artificio quodam excultæ, vel artis tantum et diligentiæ. Quæ naturam ducem et quasi procreatricem sui habent, non tam e singulis copulatisq; verbis intelliguntur, quam ex toto orationis habitu, qualis est venusta simplicitas, et quædam velut integritas sanitasq; coloris. Hanc autem eximia bonitas ingenii gignit, familiaritas cum elegantibus et politis hominibus nutrit, studiosa deniq; illorum Atticorum, in quibus naturalis pulcritudinis imago eminet, tanquam Terentii, Ciceronis, Caesaris, Nepotis lectio perficit, quo spectat egregia Jo. Guil. Bergeri de Naturali Pulcritudine Orationis (: natus et factus ad eloquentiam, neminem unquam audivi panegyricos melius recitasse :) Disputatio Lipsiæ edita. Quæ etiam ratio est, cur, quod multis natura negavit, vix industria daret, paucique adeo verum sincerumq; vultum Romanæ simplicitatis scribendo assequerentur. Cum igitur hæc virtus internis animi motibus sentiatur magis, quam præceptis explanari possit; videamus nunc de ceteris, quæ observatione et diligentia aluntur. Id in primis tenendum est, primariam eloquentiæ Romanæ laudem esse, ut pure et Latine loquamur: deinde ut plane et dilucide: tum ut ornate, post ad rerum dignitatem apte et quasi decore, ut ait Cicero I de Orat. c. 32. E quibus Ciceronis verbis intelligitur, haudquaquam opus esse ad scaonem elegantiæ declarandam illa redundantiæ particula, bene, ut nuperus Stili Magister Schellerus in Præceptis suis Stili bene Latini fecit. Quod enim maxime proprium est oris et sermonis Latini naturæ, id nude et simpliciter efferunt, pure et emendate loqui, quod est Latine, ut loquitur Cicero de Optimo Genere Orat. c. 2. Scio quidem apud eundem Ciceronem Lucium Furium per bene Latine loqui putatum fuisse, litteratiusq; quam ceteri in Bruto c. 28. et Curionem Latine non pessime locutum esse ibid. c. 58. sed vehementer dubito an, quod de eorum fortassis pronunciatione dictum erat generatim, in artem Latine scribendi cadere possit, ut illud, bene, addere necesse sit.

§ 297. Prima est ea, quam urbanitatem &c. Illarum virtutum tres potissimum sumit Rhetor Noster, urbanitatem, perspicuitatem, popularitatem. Per urbanitatem intelligimus eam virtutem dicendi, scribendiq; eam sanitatem, integritatem, et quasi certam vocem Romano generi et urbi propriam, in qua nihil offendi

hil offendi, nihil displicere, nihil sonare aut olere peregrinum videretur, adeo ut non tam in singulis esset dictis, quam per totam orationem fusa qualis apud Graecos Atticismus ille redolens proprium Athenarum saporem vid. Cicero III. de Orat. c. 12. Sed cum illam ipsam non tam artis quam naturae et ingenii esse opus dixerit, de virtutibus autem arte parandis nunc disserendum sibi sumserit Rhetor Noster, sequitur profecto ut hanc urbanitatem a priori segregaverit, eam vero quaerit in subtili quadam et exquisita verborum et formularum consuetudine, a multitudinis usu diversa, qua eleganter, ut homines in urbe liberaliter nati et educati loquimur et dicimus. Aliter enim in quacunq; civitate vulgus, quisquis est politiorum hominum loquitur. Vera autem consuetudo sermonis, est consensus eruditorum, sicut videndi, consensus bonorum judice Quintil. Libr. 1 c. 6. Cum igitur ea virtus, non tam in toto orationis colore, quam in locutionum delectu, varietate, aptaq; conclusione cernatur, dicendi potius suavitas et ornatus Grammaticus, quam urbanitas nominari potest. Quanquam non nego suavitatis quoq; genitricem esse urbanitatem. Ejus autem generis formas opportune Rhetor Noster secundum vulgares Grammaticas Orationis partes descripsit.

§ 298. In substantivis igitur &c Et in Substantivis quidem elegantiarum notae potissimum sunt tres. 1mo Cum Adjunctum exuta velut sua natura Substantivi habitum induit, tanquam: beneficiorum magnitudo apud Cicer. 1 ad Divers. Epist. 7. pro magnis beneficiis; meritorum magnitudo pro magnis meritis apud Cicer. 1 ad Diver. Epist. 1. magnitudo frigorum et tempestatum vis, pro aeri frigore et ingenti tempestate apud Cicer. v. Verrin. c. 10. maturitas aetatis, pro aetate matura apud Cicer. vi. ad Diver. Epist. 18. 2do loco Cum ex uno Substantivo effinguntur duo, quod elegantiam auget, velut opinionis levitas apud Cicer. II. de Natur. Deor. c. 17. opinionum vanitas pro opinionibus nihili apud eundem 1. de Legib. c. 10. Comitum corrumpere curam nutricisq; fidem apud Ovid. VI. Metam. ad 461 sq. 3o loco cum vel pronomini Substantivum affectionis animi, quae maxime laudari vel reprehendi debet, adjungitur, uti Cicero: cujus ego industriae gloriaeq; faveo apud Cicer. pro Ligar. c. 3. et pro: huic ego si virtute atq; animo non restitissem, scripsit: hujus ego temeritati, v. ad Divers. Epist. 2. Item: illustrabit tuam amplitudinem hominum injuria 1 ad Divers. Epist. 6. Vel pronominis loco Substantivum ponitur, tanquam: ignosce festinationi meae, pro, mihi festinanti v. ad Divers. Epist. 12. vel: faveo dignitati et gloriae tuae, pro: faveo

faveo tibi cum laudaris XII ad Diver. Epist. 7. eamq loquendi rationem imprimis amat Cicero, cum quod urbanitatem redolet, tum quod numerosior est.

§ 299. In adjectivis elegans est &c. Non minor in adjunctis est elegantia, si vel a Substantivis suis interposito uno alterove verbo segregantur, tanquam in his loquendi formulis: hoc est ad fructum uberrimum &c. in eo tamen nihil se elegantiae reperire posse ait Schellerus in Praeceptis suis Stili bene Latini Part. I c. 2. aeq enim elegans esse censet, hoc effluit fructum uberrimum, et cum Cicero ita loqui mallet, coactum fuisse ait, uberrimum, tois ad fructum postponere. Sed Schellerum saepe transversum egit nimia philosophandi cupiditas in hoc artis genere, quod totum regitur lingua et usus causis. Primum valde dubito an hoc Ciceronis sit exemplum, deinde locutionis et verborum elegantia non semper pendet a varietate sententiae, sed frequenter a sono, numero, junctura, sic: nihil est tam insigne, nec tam ad diuturnitatem memoriae stabile, quam id, in quo aliquid offenderis I. de Orat. c. 28. Neq quicquam vulgarius apud Ciceronem, quam hoc ipsum, tanquam: animi et ingenii celeres quidam motus esse debent, qui et ad excogitandum acuti, et ad explicandum ornandumq sint uberes, et ad memoriam firmi et diuturni I. de Orat. c. 25. Similiter: mira quaedam in cognoscendo suavitas et delectatio ibid. c. 43. agro bene culto nihil potest esse nec usu uberius, nec specie ornatius apud Cicer. de Senect. c. 16. Agri Campani vectigal neq bellis infestum, neq fructibus varium, nec coelo ac loco calamitosum esse solet 2. Agrar. c. 29. Vel cum suis Substantivis apta nectuntur, tanquam: nec intelligis satis esse viris fortibus didicisse, quam sit re pulcrum, beneficio gratum, fama gloriosum, tyrannum occidere? apud Cicer. 2. Philip. c. 46. Abstinendum autem sedulo est ab omnibus epithetis otiosis et nihil significantibus. Vel cum Superlativi in Comparativos aut Positivos commutantur, tanquam: nihil illo fuit excellentius vel in vitiis. vel in virtutibus apud Nepot. in Alcibiad. c. 1. pro: in virtutibus pariter atq vitiis fuit excellentissimus. Eodem pacto: his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulcrius, nihil amabilius, pro simplici locutione: amor meus factus sit ardentissimus, virtus formosissima, pulcerrima apud Cicer. IX. ad Diver. Ep. 14. Item: erat forma praeter ceteras honesta et liberali. pro. honestissima apud Terent. in Andr. I: 1: 95. et: adulta virgo adeo eximia forma, ut quacung incedebat, converteret omnium oculos secund. Livium Libr. XXVI: 50. Quin id multum gratiae et pulcritudinis habet, si adjuncta pronominum vices sustineant

neant, ut: sparsissent lacrymae pectora nostra piae, pro tuae apud Ovid. IV. Trist. Eleg. 3. v. 42. addebat veris multa faventis amor, pro tuus apud eund. ibid. v. 58 tandem: quid jam misero denig restat apud Virg. II. Aeneid. v. 70.

§ 300. Inter pronomina, permagna est etc In pronominibus maxima inest suavitas, si ita relativi ponantur, ut articuli et quasi membra orationis tanto melius cohaereant, exemplo Ciceronis a Rhetore nostro laudato. Addi possunt alia haec: virum excellentem te a se alienatum retinuisse, qui mihi cum semper tuae laudi favere visus est, et reliqua I. ad Divers. Epist. 7. quod habui summum pretium persolvi tibi apud Terent. in Andr. 1: 1: 12. quem tu nimis urbanus es, nisi concupiscis apud Plin. II. Epist. Epist. 17. muta enim et deme haec vincula, videbis orationem liberius solutam esse. Eadem ratio est in aliis omnibus, ubi, qui, pro. ego, tu, ille, hic, usurpatur, tanquam: non tu homo ridiculus es, qui ex me quaeras? apud Cicer. IX. ad Divers. Epist. 17. qui, si conservatus erit, vicimus XII. ad Divers. Epist. 6. qui si intellexerit commoda sua curae tibi esse XII. ad Divers. Epist. 12. Eodem pacto, ab initio periodi, non in medio, aut a primordio totius sententiae vel orationis ut nonnulli inscitia recte loquendi faciunt, pro, si, venuste dicitur, quod si, ut reliqua cum antegressis copulatius ligentur, tanquam: quod si ut scribis ita sentis, apud Cicer. X. ad Divers. Epist. 26. quod si aliter essem animatus XI ad Divers. Epist. 28. Ceterum varius est relativorum apud elegantes usus, tanquam, cum Substantivis, quadam generis, numeri et casus dissimilitudine nectuntur, de qua venustate discordia relativi cum antecedente pluribus egit vir egregius Laur. Valla Lib. III. Elegant. c. 19.

§ 301. Sed est etiam aliorum pronominum &c Sic in aliis quoq pronominibus, ego, tu, ipse, idem, et similibus exquisite loquentium os suas habet veneres, veluti, cum τῷ ego, et tu, etsi ex verbi persona intelligitur, tamen vel respondendi, vel clarius distinguendi causa nominatim exprimitur, veluti: ego vero Servi, vellem, ut scribis in meo gravissimo casu affuisses, quod sane elegantius est, quam, vellem Servii in meo casu abfuisses. Ita enim aptius respondent verbis Servii Sulpicii in superiori Epistola Libr. IV. Epist. 5. qui si ipse affuissem, neq tibi defuissem, coramq meum dolorem tibi declarassem. Eodem modo pergit idem Sulpitius: etsi genus hoc consolationum miserum atq acerbum est, propterea, quia per quos ea confieri debet propinquos, ipsi pari molestia afficiuntur, et mox: quoties in eam cogitationem necesse est, et tu veneris, et nos saepe incidimus. Remove ab his, ipsi, tu, nos, sententia quidem recta erit, sed gratiam et vim perdet, atq ita centum aliis

in locis

in locis aut Terentii aut Ciceronis, veluti: in cognoscendo tute ipse aderis Chreae, cui respondet: ego vero maneo, apud Terent. in Eunuch. Act. V. Scen. 2. vs 54 et 55. Ego quidem ut debeo, et ut tute mihi praecepisti, et ut me pietas utilitasq; cogit, me ad ejus rationes adjungo, quem tu in meis rationibus tibi esse adjungendum putasti. 1. ad Divers. Epist. 8. Non minor elegantiae virtus est in pronomine, idem, si copulandi gratia adhibetur, ut: vir innocentissimus idemq; doctissimus apud Cicer. III. de Nat. Deor. c. 32. Marcellus ille quinquies Consul, idem imperator, idem Augur optimus II. de Divinat. c. 36. Contulit se ad Pharnabazum eundemq; generum regis apud Nepot. in Conon. c. 2. Tum si pro, etiam, accipitur, tanquam: quasi possit quisquam, qui non idem prudens sit, justus esse II. de Offic. c. 10. Sic, ipsum vemusse ponitur, si res quam declarare volumus insignitam quandam notationem habet, veluti: cum his facta pax, non erit pax, sed ipsa servitutis pactio secundum Cicer. XII. Philipp. c. 6. Similiter: ipsa si cupiat salus servare non potest hanc familiam apud Terent. in Adelph. Act. IV. Scen. 7. vs 43. Nec me Consules movent, qui ipsi pluma aut folio facilius moventur apud Cicer. VIII. ad Attic. Epist. 15. Sic, ipse, cum pronominibus, mihi, me, sibi, se, non semper casu convenit, sed nominandi casu elegantius accommodatur verbo, velut: mihi ipse assentior apud Ciceron. III. ad Divers. Epist. 11. Mihi ipse nunquam satisfacio apud Cicer. I. ad Divers. Epist. 1. cum Corrii annotatione. Sic: indicio de se ipse erit apud Terent. in Prolog. Adelph. vs 4. Praeterea si numeralibus additur pronomen, ipse, fiat nos accurate et definite, non rotunde designare numerum voluisse, ut: triginta dies erant ipsi; cum has dabam litteras apud Cicer. III. ad Attic. Epist. 21. Similiter: ego cum Athenis decem ipsos dies fuissem II. ad Divers. Epist. 8. ad quem locum legatur Manutius et Grevius. Verum persequi omnia putidae foret diligentiae, qui Ciceronem aliosq; ejus similes accurate leget, sua sponte plura adscribendi usum annotare poterit.

§ 302. Ut ad verba veniam &c. In usu verborum consuetudo etiam bene loquentium valet plurimum, ubi in primis videndum est, ut quam minime tralatitia feligamus, sed arte et naturali sensu ponderata. Substantivis jungamus, in quibus vel plenum quiddam ac sonans inesse videtur, vel modus, forma, ratio, eventus rei maxime explanatur. Ex priori genere est

re est, reperiri, inveniri, pro esse, extare, deprehendi, velut: ni grato ingratus repertus est, apud Plaut in Persa Act. V. Scen. 2. ℣ 59. tamen in ista populatione et proscriptione bonorum improbus reperiebare apud Cicer. pro Quintio c. 18. luxuriosus, libidinosus, intemperans reperiebatur apud Nepot. in Alcibiad. c. 1. Maetata veniet lenior hostia apud Horat. I. Carmin. Od. 19. ℣ 26. Ex posteriori genere: rana dum vult validius inflare se rupto jacuit corpore, pro rupta est, apud Phaedr. I. Fab. Fab. 24. ℣ 10. Superior discessit, pro fuit, inferior discessit pro victus est, tanquam in his: qui restiterunt, discedunt saepissime superiores apud Cicer. II. Tuscul. Quaest. c. 23. Similiter: altis urbibus ultima steterunt causa, pro fuerunt, cur perirent funditus apud Horat. I. Carm. Od. 16. ℣ 18. Sic: honos alit artes omnesq; incenduntur ad studia gloria, jacentq; ea semper, pro frigent, for. dentq; contemnuntur, quo apud quosq; improbantur secund. Cicer. I. Tuscul. Quaest. c. 2. Ita jacere dicitur oratio, quae languida et exanimis est apud Quintil. Libr. IX. Instit. c. 2. Ita egregie: lactuca innatat acri post vinum stomacho apud Horat. II. Satyr. Satyr. 4. ℣ 59. Arteriis innatant venae i. e. sanguinis rivi apud Plin. XI. Hist. Nat. Sect. 88. Attolluntur colles alti pro assurgunt et elevantur, decurruntq; et in plana arbores sponte natae apud Plin. XII. Histor. Natur. c. 14. Sic: Arcadia attollitur in montes fer atq; septuaginta apud Plin. IV. Hist. Natur. c. 6. Navigabilem fossam usq; ad ostia Tiberina depressuros promiserant apud Tacit. XV. Annal. c. 42. in corpore pili, ut crista in spica hordei, horrent apud Varron. V. de Ling. Lat. c. 6. Ita saltem recte emendavit Nic. Heinsius ad illum locum.

§. 303. In ceteris verbis magna &c. Dici sane non potest, quantum splendoris luminisq; orationi accessant ejusmodi verba, quae actionis et perspectionis, morborum, effectorumq; rei scaenen paene in conspectu velut animi ponunt; in quo quidem genere summus artifex est Cicero, tanquam in Libro de Senect. c. 16. ubi voluptates agricolarum, vitiumq; et stirpium satus, ortum et incrementa pereleganti stilo persequitur; in primis II. de Nat. Deor. a cap. 47. sqq. ubi animantium, praesertim hominis naturam depingit, cujus exemplum postea non infeliciter assecutus est Lactantius de Opificio Dei a cap. 5. Sic verborum

florentiss.

florentissimae imagines apud Virgil. Horat. Ovid. Plinium Majorem alios reperiuntur, habentq; usum maxime, uti in omnium aliarum, rerum naturalium formis et rationibus describendis, tanquam longe scîantius est: orbis in rotunditatem circumactus apud Plin. XV. Hist. Nat. c. 14. et: depressus puteus apud Plin. XXX. Hist. Natur. c. 3. quam, factus. Sic: cor mobiliter palpitat, quam se movet apud Cicer. II. de Nat. Deor. c. 9. his, tergo quae concutit, utitur armis apud Ovid. Halieuticor. ✗ 45. quam habet.

§. 304. Est etiam aliqua elegantiae &c. Similiter in particulis elegantia non mediocris sita est, sive universis; non alia scilicet collocatione sensuve ponendis, quam optimi cujusq; veterum Scriptoris auctoritas et ratio jubet: quarum particularum disciplinam lectio bonorum Lexicorum, usus inprimis Horat. Tursellini Libellus de Particulis Lat. Ling. reget. sive nonnullis aliis, quae vernaculae loquendi consvetudini dissimiles esse videntur, quarum venustas, non aliunde melius, quam ex Cicerone, Caesare, aliisq; disci potest. Cicero sane particulis ita et sic eleganter utitur, tanquam, ita, mox pro: valde, veluti earum rerum disputationem principibus civitatis non ita decoram putant IV. Acad. Quaest. c. 2. mox usurpatur pro: tam, veluti: qui omnino nomen habuerint Oratorum, non ita multos fuisse apud Cicer. in Brut. c. 69. mox pro: hac conditione, lege causa, tempore, tanquam in his: nam hoc ipsum, ita justum est, quod recte fit, si est voluntarium apud Cicer. I. de Offic. c. 9. quod ita sciunt Lucceii procuratores, et ita Lucceius ipse &c. apud Cicer. XIII. ad Divers. Epist. 42. ita intercessit h. e. eam interseruit causam apud Cicer. I. Verrin. c. 46. ita profectus est &c. apud Cicer. pro Milone c. 10. Eadem svavitate particula sic usurpatur pro hoc consilio, tanquam: Cotta sic disputat, ut Stoicorum magis argumenta confutet, quam hominum deleat religionem apud Cicer. I. de Divinat. c. 5. Item eleganter sic et ita vel inverso naturali loquendi ordine, vel eo modo collocari solet, ut redundare videatur, veluti: ut quisq; optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem pertimescit apud Cicer. I de Orat. c. 26. Hanc tamen elegantiam esse negat Schellerus in suis Stili bene Latini Praeceptis Part. I. c. 2. quoniam eandem ideam, eundemq; plane sensum habeat, si dixeris: quo quis, an ut quisq;. sed vereor ne ludat verbo elegantiae, hic enim non agitur de elegantia sententiae, sed verbi et elocutionis.

Cum particulis hic sociaverim Praepositiones, in quibus cavendum sane est ne imit

re imitemur hodiernam, sed pravam rationem scribendi, cum se acturum quid scribunt ad diem; quae corruptela inde nata est, quod singulares litteras A. D. in scriptis Ciceronis et aliorum repertas, veluti apud Cicer. III. ad Attic. Epist. 23. sed punctis distinctas male conglutinarent, cum sit, ante diem, ut passim plene scribitur, cag ratio est immutabilis, etiamsi aliae praepositiones, quae videntur repugnare, tanquam: ex, in, usqs, addantur, veluti: ex ante diem Nonas Iunias usqs ad pridie Calendas Septembres apud Cicer. III. ad Attic. Epist. 17.

§ 305. Participiorum quoq; usus &c. Legitimus quoq; participiorum usus tantam fere gratiam et pulcritudinem habet, ut fere eo, ne Latina quidem Oratio esse possit. Primum enim generatim efficiunt participia, ut adjuncta rei vel personae, quae natura sua tempore, cogitatione inter se copulata esse debent, apte coërceantur, atq; sic circuitus et conglutinatio verborum et periodorum quas vocant, tanto melius cohaereat, in quo genere excellunt Cicero et Caesar. Ita sigillatim auribus gratiosa sunt, quae nominum Substantivorum vicem sustinent, in quibus saepe abstractio inest, ut barbare Dialectici dicunt, h. e. remota a sensu notio, tanquam in oratione populari melius est abstracta in concreta, ut rursus Dialectici loquuntur, mutare, velut: tu mihi summum imperium, summam auctoritatem, tu gubernacula rei publicae petas fovendis hominum sensibus, deliniendis animis, et adhibendis voluptatibus? apud Cicer. pro Muren. c. 35. quam si quis fomentis humanorum sensuum, delinitione multitudinis, aucupio voluptatum uteretur. Sic longe elegantius apud Nepot. in Praefat. Nos in Exterorum virtutibus exponendis mores eorum secutos. Item: claris et fortibus viris commemorandis apud Cicer. I. de Fin. Bon. et Mal. c. 10. quam virtutum expositione, et fortium virorum commemoratione. Rursus id popularius est: in omni re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando quam in contractibus, venditione, emtione, conductione, locatione apud Cicer. II. de Offic. c. 18.

§ 306. Illa quoq; observatio est, ne Multa quoq; sunt vocabula, quae etsi proba et Latina, tamen elegantiores de ejusmodi re, quam vulgo designant, variis usurpare solent. Ita, bovem marem appellare maluerunt, taurum, quam bovem; feminam contra, bovem, quam vaccam, unde saepe apud Livium: bos locuta est: veluti Libr. III. c. 10. pro vacca locuta est. Eodem pacto, materiam dicere maluerunt, quam lignum, tanquam Caesar V. Bell. Gall. c. 12. Custodiam; quam carcerem, veluti apud Cicer. V. Verrin. c. 27. Saepenumero, quam multoties, quod adverbium, aut barbarum est, aut semibarbarum. Item: nusquam potius amarunt, quam nullibi, quod adverbium in solo duntaxat Vitruvio legitur

tur VII. Architect. c. 1. Propterea in scribendo diligenter cavendum est, ne aliis utamur verbis, nisi quæ consuetudo optime loquentium rata habuit.

§ 307. Atq etiam figuræ quædam &c. Sic in figuris quog Grammaticis extant nonnulla, quæ idoneis collocatæ locis et nitidiorem efficiunt orationem, et suaviorem: tanquam ellipsis sive nominum, sive participiorum, sive verborum. tanquam Nominum, si dicas: paucis est, quod te volo, subaudi negotium apud Plaut. in Aululat. Act. II. Scen. 2. v. 22. Tum participiorum et verborum, tanquam: ut domo abditus, nihil aliud, quam per edicta obnuntiaret, subintellige, ageret, faceret. apud Sueton. in Caesar. c. 20. Sic: egomet continuo mecum, scilicet cogitabam apud Terent. in Andr. Act. 1. Scen. 1. v. 55. Plura ejusmodi exempla verborum pulcre deficientium habet Laur. Valla III. Elegant. c. 47. Elegans eodem modo interdum detractio fit in particulis, uti: non modo, sed ne quidem, pro: non modo non. tanquam: ne sues quidem id velint, non modo ipse, pro: non modo non ipse. apud Cicer. I. Tuscul. Quæst. c. 38. et: verum, ut hæc concedamus, reliqua, qui tandem non modo concedi, sed omnino intelligi possunt apud Cicer. III. de Nat. Deor. c. 16. Item: an, pro, annon, ut: haud scio an magno detrimento certamen statutum fuerit. apud Liv. III: 60. item: quod tu nescio an primum putes apud Cicer. IX. ad Divers. Epist. 15. Nec redundantia quorundam vocabulorum, in primis pronominum, mihi, tibi, ab urbanitatis cultu aliena est, tanquam: qui mihi ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes apud Terent. in Phormion. Act. V. Scen. 8. v. 21. quid mihi Celsus agit? apud Horat. I Ep. Epist. 3. v. 15. ubi nunc Deus ille magister? apud Virg. V. Aeneid. v. 391. Imo per se aliquid infantiæ habere videtur unius ejusdemq verbi crebra repetitio, et tamen interdum plus quam ipsa varietas et copia delectat, signumq gratæ negligentiæ secum fert, nam quædam etiam negligentia est diligens, ut ait Cicero in Orat. c. 23. De qua grata orationis negligentia probabiliter disseruit Rhetor Noster in singulari Prolusione Lipsiæ edita. Hujusmodi verborum iterationes frequenter delectantur elegantioris ingenii Scriptores, velut Cicero II. ad Attic. Epist. 12. Dies nullus erat, Antii cum essem, quo die non melius scirem, Romæ, quid ageretur. qualia exempla collegit plura Sanctius in Minerva Libr. II. c. 9. Aliud exemplum est in Gellio V. Noct. Attic. c. 15. earum proprie rerum fit historia, quibus rebus gerendis interfuit is, qui narrat.

§ 308. Hoc quog genus non est &c. Manet autem, quo plures una in locutione, vel loco partium orationis elegantiæ et similitudines concurrunt, eo concinniorem dicendi modum effici, tanquam in illo exemplo Cicer. V. ad Divers. Epist. 2

Epist. 2. quod Rhetor Noster supra paragr. 298. non laudato Ciceronis loco posuerat. Elegans quidem erat, pronomen, huic, in Substantivum, hujus temeritati converti, sed venustas semiplena futura fuisset, nisi alterum etiam pronomen, ego, duplici Substantivo locupletasset, unde pulcherrima exiit locutio: hujus ego temeritati, si virtute atq animo non restitissem. Eodem pacto singularis est elegantia, si plures Substantivos vel sententias ad unum referas verbum, tanquam: vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia apud Cicer. pro Cluentio c. 6. Neq is es Catilina, ut te aut pudor a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocarit apud Cicer. I. Catil. c. 9. Item si uni Substantivo plura adjuncta diversis hominibus et rebus tributa jungantur, veluti: quo in discrimine cum mirificus Senatus, incredibilis Italiæ totius, singularis omnium bonorum consensus in metuendo exstitisset. I. ad Divers. Epist. 9.

§ 309. Ea est vel e singulis verbis &c. Prima sane eloquentiæ virtus est perspicuitas judice Quintil. Libr. II. Instit. Orat. c. 3. Neq enim qui non dicit, quod intelligamus, is poterit, quod admiremur dicere, ut ait Cicer. III. de Orat. c. 10. Perspicuitas autem ea conficitur vel ex verbis simplicibus vel ex copulatis, adeoq ipsa orationis junctura, quæ facit omnes orationis partes æquabiliter planas. Simplicium verborum explanatio comparatur duabus rebus, usitatis et propriis. usitata sunt ea, quæ dominus sermonis, usus imperavit, quibus repugnant obsoleta, innovata, peregrina. Maxima vero perspicuitatis dos est in propriis verbis, secund. Aristot. III. Rhetor. c. 2. Proprietas autem duplicis est generis, vel ipsis animantibus et rebus priva et nativa, veluti, voces mutorum animantium nonnullæ sic efferuntur. Corvi dicuntur, crocire; galli gallinacei cucurire, gallina, gracire; vespertiliones, stridere; apes, bombire; apri, fremdere; boves mugire; equi hinnire; asini rudere; porci grunnire, et sic in multis aliis, canes latrare. Non aliunde melius verborum proprietates discuntur, quam ex Adriani Junii Nomenclatore Omnium Rerum. Alia in iis, quæ consuetudine eleganter et accurate loquentium inducta, cuidam generi hominum olim tributa fuerunt, tanquam, Dictator proprie non creari, sed dici dicebatur, innumeris exemplis Livii, tanquam Libr. VII: 19. Creare Consulem apud Livium Libr. I. c. 60. atq sic in sexcentis aliis locis, interrex declarare etiam dicitur (: rarius :) apud Liv. XXVII: 6. Porro legere Senatores apud Livium XXIII: 23. ut sic multis aliis in locis. Cooptare Pontificem apud Liv. XL:

42 caput

42. Capere Vestalem apud Tacit. XV. Annal. c. 22. Prodere interregem apud Liv. Libr. VI: c. 41. Auctoritas de Senatu apud Cicer. III. de Legib. c. 12. Splendor de Equitibus apud Cicer. pro Roscio Amer. c. 48. Subtilitas de Philosophis apud Cicer. 1. Acad. Quaest. c. 2. et Sanctitas de Legatis apud Cicer. pro Sextio c. 37. Ita multa etiam sunt vocabula, quae minime inter se confundi debent, aut ad alias res transferenda, quam quibus verbis tribuenda esse eleganter scribentium auctoritas jusserit, v. c. studium, diligentia, industria, assiduitas, alia id genus, quanquam pro Synonymis vulgo haberi solent, tamen nonnullis locis recte, aliis prave collocantur. Studium est vox communis, denotatq; assiduam et vehementem animi ad aliquam rem magna cum voluptate occupationem, quae rerum bonarum, quae etiam rerum malarum esse potest. rerum bonarum, uti; bonarum artium studium: aliarum rerum, tanquam, voluptatum, aleae, ambulationis, equorum, canum studia vid. Cicer. 1. de Invent. c. 25. Diligentia est ingenii et judicii. Industria in agendo versatur et in opere. Assiduitas demum est perpetuitas sive continuatio studii sine intervallo. de quorum, uti et aliorum plurium id genus verborum discrimine videndus est Auson. Popma in Libro de Different. Verborum. saepius typis repetito.

Qualem vero in Substantivis et Verbis proprietatem, talem etiam in epithetis reperimus, ut nonnulla certis Substantivis apte respondeant, alia aliis praeter elegantiorum consuetudinem jungantur. Sic non hominem dixerunt, sed virum fortem, bonum, clarum apud Cicer. 1. de Fin. Bon. et Mal. c. 10. claris et fortibus viris commemorandis apud eundem 1. de Offic. c. 10. Contra non virum, sed hominem acutum 1. de Fin. Bon. et Mal. c. 6. hominem eruditum ibid. eod. hominem gratum apud eund. pro Plantio c. 38. Eodem pacto proprie dicitur vinum meracum, caput obstipum, mel sincerum. Item de consilio usurpantur propria in hac re epitheta, consilium bonum dicitur argum. Terent. in Eunuch. II: 3: 82. et: fidele consilium, tanquam non dubitanti fidele consilium apud Cicer. 2. Agrar. c. 2. in fine. Haec fere omnia elegantiae studioso diligenter sunt tenenda, ut nulla, nec Substantiva, nec verba, nec epitheta sine delectu et judicio corradat, sed singula apte et suo loco ponat. Cujus delectus causa inspiciat bona Lexica, Stephani et Fabri, Sepperianis in primis curis expolita. Item haud incongruum erit singulares secum habere Libros Fran. Vavassoris de

Vi et usu

Vi et Usu verborum, qui reperitur in Richardi Cheteli Scriptoribus Selectis de Elegantiori Latinitate, item Joh. Vorstii Librum de Latinit. falso et merito Suspecta, qui optime prodiit Lipsiæ 1682. octavo.

§. 310. Impediunt contra perspicuitatem &c Perspicuitati obest primum negligentia puritatis et proprietatis. 2da ambiguitas, cujus ratio duplex est: alterum in simplicibus verbis, cum pluribus rebus aut hominibus eadem appellatio est, quæ singulorum verborum ambiguitas homonymia appellari solet, quod tamen ambiguitatis genus, vitium esse desinit, si data opera et per jocum vocibus ancipiti sententia utaris, veluti cum Cicero diceret Octavianum Cæsarem, illum juvenem ornandum et tollendum esse, aliud quid diceret, aliud intelligi vellet teste Vell. Paterc. Libr. II c. 62. Plus tamen ambiguitatis est in verbis copulatis, et orationis structura, in primis Infinitivus est inter duos Accusativos, atq; dubitatio oritur, quonam referri debeat Subjectum, velut in his: Omnes socrus odisse nurus apud Terent. in Hecyra Act. II: 1: 4. Tum in vulgari illo versu, quem ajunt oraculi loco redditum esse Pyrrho Epirotarum regi in. Italiam profecturo: Ajo te Aeacida Romanos vincere posse, apud Ennium, et ex Ennio apud Cicer. II. de Divinat. c. 56. qui tamen versus, nunquam hoc modo edi poterat, Apollo enim Pythius non Latine sed Græce loquebatur. Tum: Chremetem audivi percussisse Demeam, incertum enim est, Chremes Demeam, an Demeas Chremetem percusserit apud Quintil. Libr. VII: 9.

§. 311. Existit vero obscuritas etiam &c Textio nocet nimia brevitas. interdum quidem in laude, sed ut plurimum in vitio est, si nimia quadam pulcritudinis nescio cujus consectatione quæratur, unde Horatius recte in Art Poët. ax 25. Decipimur, inquit, specie recti. brevis esse laboro. obscurus fio. Quæ ratio sæpe condonanda est Thucydidi in Orationibus et Tacito: alter enim est grandis rerum pronunciator, ut sæpe Ciceroni dicitur, et Tacitus sæpe animi sui sententiam celare debebat, quoniam ejus ætate jam libertas scribendi sublata esse videbatur. de qua brevitate legatur Quintil Libr. VIII c. 2. Ejusdem brevitatis genus quoddam est ἀναντανάδοτον sine redditione, vel redditionem non habens, ex ἀ et ἀνταναδίδωμι contra reddo, vicissim reddo, atq; sic nihil exstat, quod priori apta conclusione respondeat. 4to loco brevitati opponitur

nitur μακρολογία i.e. nimis longa verborum continuatio. 5to loco trajectio aspera et dura, de qua trajectione legatur Quintil. Libr. VIII c. 2. et tandem 6to loco interjectio, Graecis παρένθεσις praesertim longior et multiplex orationis claritati maxime officit, de qua itidem Quintil. loco laud.

§ 312. Proprietati adjunxerim &c Proprietatem comitatur popularitas sive subtilitas, cujus ea virtus est, ut nulla adsciscat verba, nisi usu et lingua populi trita, hac tamen lege, ne elegantiae disciplina negligatur, quae quidem subtilitas judice Cicerone imitabilis esse videtur existimanti, sed nihil est experienti minus in Orat. c. 23. In dicendo autem vitium vel maximum est a vulgari genere orationis, atq; a consuetudine communis sensus abhorrere, ut idem Cicero loquitur 1. de Orat. c. 3. quod quam diligenter vitaverint bonae aetatis Latini probabili exemplo Legis Semproniae et loci Ciceroniani XIII. ad Divers. Epist. 29. demonstravit Rhetor Noster. Cum enim in populari ratione et leges et orationes versentur argumento Ciceronis 1. de Legib. c. 6. non mirum est, cur Lex vel frumentaria Caji Gracchi populariter magis, quam ex sensu Scholae arithmeticae, adeoq; semissibus et trientibus, non deuncibus locuta sit, vid. formula apud Magistr. Hermog. 1. Rhetor. c. 12. vel ipse Cicero in Orat. pro Sextio c. 25. non, remissa deunce sed remissis semissibus et trientibus, quintam prope partem vectigalium sublatam esse dixerit. Eodem pacto Svetonius uno vocabulo dicere potuisset Augustum instituisse heredem Tiberium ex besse h.e. ex octo unciis vel quarta parte hereditatis, sed malebat sic loqui: ex parte dimidia ex sextante in August. c. 101.

CAPUT II.

De Ornatu e Tropis.

§ 313. Quae hactenus dicta sunt &c Non modica quidem Oratoris virtus est pure, caste, et eleganter dicere: vel sic tamen judice Quintil. Lib. VIII c. 3. in ornatu sine dubio plus, quam in ceteris dicendi partibus sibi indulget Orator. ideoq; dignitas orationis accedere debet, in qua non modo voluptatis, sed etiam admirationis multum inest. Omnis vero haec orationis dignitas duobus potissimum generibus aestimari debet, materia et forma. per materiam intelligit Rhetor ipsam singularium verborum et locutionum virtutem et splendorem, qui tropis et figuris conciliatur. forma respicit ad concinnam verborum et locutionum collocationem, junctaram, ordinem uno verbo orationis exaedificationem, et quendam velut orbem.

§ 314

§ 314. Tropus igitur est vocis cujusq; &c. Ornatus sane quoddam velut fundamentum est Troporum et Figurarum conformatio, ubi enim ab usitata verborum potestate receditur, atq; in alian rationem cum quadam venustate oratio confertur, ibi Tropus est, Graecis τρόπος ἀπὸ τῦ τρέπειν vertere, vid. Magistr. Herennian. IV. Rhetor. c. 31. ideo sic dictus Graecis, sive quod Tropi, quasi mutationes sient, cum quod non habeas, aliunde sumas secund. Cicer. III. de Orat. c. 38. sive quod vertant orationem, unde motus Latinis secund. Quintil. Lib. IX: c. 1. Hic vero transferendi modus e triplici potissimum oritur fonte, si aut similitudo adsit, aut conjunctio, disjunctiove rerum. Hanc autem rationem verbi transferendi primum necessitas genuit, tum inopia verborum, post delectatio jucunditasq; vid. omnino Cicer. III. de Orat. c. 39. Alias rerum similitudines necessitas et utilitas, alias lepos et suavitas peperit. Sic ut unico exemplo defungar: aedificare proprie de alicujus vel domus, vel aedis sacrae, vel alius monumenti exstructione sumitur, sed Juvenalis elegantissime de suggestu comae, nunc etiam feminis sollenni, et capillis in altum exstructis usurpat Satyr. VI v. 502. Praeterea id accidere credit Rhetor Rosfer ingenii humani indole, quae ut Philosophi et nominatim Rhetor Rosfer in Init. Doctrin. Solid. et quidem in Metaphys. c. 1. de Mente humana paragr. 23. facultatem dividendi, addendi et componendi habet, uti enim nihil est in rerum natura cujus non adsit quaedam vel similitudo, vel necessitudo, vel diversitas, ita hoc est ingenii specimen quoddam vel transsilire ante pedes posita, aliaq aliunde repetita sumere, vel conjunctis inter se promiscue uti, vel disjuncta aliorsum ducere. Duarum igitur rerum similitudo μεταφοραν, dissimilitudo εἰρωνειαν gignit. in quibus vero pro verbo proprio subjicitur aliud, quod idem ferme scire possit, sumtum ex re quadam conjuncta vel consequenti, ibi locum habet μετονυμια.

§ 315. Est igitur Metaphora &c. Cum igitur ab Oratore in quandam rem alian inflectitur verbum, quod per similitudinem recte transferri posse videtur, istud proprie Graecis μεταφορὰ ἀπὸ τῦ μεταφερειν transferre, Latinis translatio dicitur vid. Cicer in Orat. c. 27. Necessario vero inter propriam et alienam vocem similitudo intercedere debet, alioquin obscuritatis vitio laborat oratio. Sic cum Livius Aetolos umbilicum Graeciae incoluisse dicit Libr. XXXV: 18. vel Octavianus Caesar Agrippae

grippam nepotem, et Julias filiam et neptem, tres vomicas aut tria carcinomata sua appellat apud Sveton. in August. c. 65. utrobiq; inter scâonem rei propriam et alienam similitudo adest. uti enim umbilicus in corpore humano medius est locus, sic Aetolia in mediuullio Graciae sita erat. ut vomicae et carcinomata maximum et insanabilem corpori dolorem adferunt: sic nepotes et neptes illo Augusti animo aegritudinem afferebant. Ita Cicero Clodium vocat; procellam patriae, turbinem ac tempestatem pacis et otii pro Domo c. 53. similitudine elegantèr petita a re, quae omnia miscet, turbat et everrit. Hujus autem similitudinis duplex est genus, alterum simplex, vel unius partis, Graecis ἁναλόλσθον, alterum duplex vel utriq; commutabile, Graece ἀνόλσθον. Illius exempla haec sunto: cum fons pro causa dicitur apud Cicer. III. de Nat. Deor. c. 19. nam sola similitudo a parte fontis est, non causae. Sic cum vox porci, transfertur ad hominem sive libidinosum, sive luculentum, tanquam in illo Horat. 1. Epist. Epist. IV ꝛ 16. Epicuri de grege porcum. Hujus vero cum vox campi aeq; mari a ventis placido, quam aequoris campo tribuitur, nam quid tam planum videtur, quam mare, ex quo aequor illud Poëtae vocant, in Fragment. Cicer. apud Non. Marcell. cap. 1. paragr. 332. tanquam in illo Ciceronis: Babylonii in camporum patentibus aequoribus habitantes 1. de Divinat. c. 42. et in duobus Virgilii locis, ubi de aequore campus, tanquam 1. Aeneid. ꝛ 35. Campos salis aere ruebant. et vicissim de agris et campis aequor usurpatur 1. Georg. ꝛ 50. propter quandam inter haec duo ἀναλογίαν, unde etiam ejusmodi metaphorae genus reciprocum dicitur. Exempla hujus reciprocae similitudinis, quae attulit Rhetor Noster de Sole et Rege ficta esse videntur. Asiae quidem Solem Brutum appellat Horat. 1. Satyr. Sat. VII ꝛ 24. sed Solem vicissim regem coeli dici nusquam reperi exemplum. Jupiter quidem rex coeli dicitur apud Virg. IV. Georg. ꝛ 152.

§ 316. Sed cum aeq; late metaphora ꝛc Tametsi vero metaphorarum usus tam late pateat, quam similitudinum; ipsa nihil enim paene est, in rerum natura, quod non similitudinem aliquam vel commodet, vel recipiat, tamen translationem dicunt Rhetores prudentem esse oportere, etenim verecunda esse debet judice Cicer. III. de Orat. c. 41 Quare in hoc genere fugienda est primum dissimilitudo eodem judice Cicer. III. de Orat. c. 40. h. e. cavendum, ne metaphorae ducantur a rebus parum similibus, unde necessario oriri debet quedam duritries vel audacia fre-

cui

cis κατάχρησις, tanquam si apud Graecos aliquis tonitru appellaverit σαλπιγγα, (nam apud Latinos quenquam tonitru, tubam appellasse id rursus nusquam reperi:) veniam non habeat, nisi vel excusandi emolliendiq particulas, velut, tanquam, quasi, ut ita dicam, addideris, cujusmodi particulas μειλίγματα vocat Longinus περὶ τοῦ ὕψους Sect. 132. quam observationem Rhetor Noster debuit Ciceron. III. de Orat. c. 41 vel epitheto juncto voces ὀρανιαν σαλπιγγα, ut in illo Triphiodori de Ilii Excidio ✗ 314. vel in pangendo carmine, praesertim sublimiori verseris, nam poëta verborum licentia liberior est, unde non minus Euripidi in Phoeniss. ✗ 220. ζεφυρος πνοαῖς ἱππευσας quam Horatio IV. Carm. Od. 4. ✗ 43. Eurus Siculas equitans per undas condonari debet; deniq consvetudo scribentium ita metaphoram triverit, ut in audaculis esse desierit, quemadmodum in Carmine, coeli ingentes fornices et capitis nives, ut ut duriores metaphoras, et a Cicer. III. de Orat. c. 40. item Quintil. Libr. VIII. Instit. c. 6. reprehensas, Rhetor Noster non dubitat tolerari posse, ideo quod non unus bonus poëta usurpaverit utrumq, quod tamen velim Rhetor clarius et accuratius indicaverit. Nam prioris metaphorae non nisi unicum Auctorem Ennium vid. Fragm. Ennii p. m. 327. edit H. Neq alterius plures, quam Horatium nominare posset IV Carmin. Od. 13. ✗ 12. Deinde videndum est, ne simile longe sit ductum secund. Quintil. Libr. VIII: 6. proinde Cicero Syrtim, inquit, patrimonii, scopulum libentius dixerim; Charybdim bonorum, voraginem potius. III. de Orat. c. 41. pauci enim Charybdim et Syrtim viderunt, multi scopulum et voraginem, facilius autem ad ea, quae visa, quam illa, quae audita sunt, mentis oculi feruntur, ut ibidem recte philosophatur Cicero.

§ 317. Altera cautio est, ne &c Porro cavere nos oportet, ne translatio a rebus vel majoribus vel minoribus quam rei natura postulat sumatur. Constans ea in re veterum est Rhetorum praeceptio, veluti si quis nudum in urbe Senatorem, cum Homero pastorem populorum; aut cum Catone in Libris Origin. apud Gell. III. Noct. Attic. c. 7. verticem in summo montis appellaverit, verrucam. alterum enim nimium est, alterum nimis parvum. Metaphora enim si in alienum locum venit, plus valere debet eo, quod expellit judice Quintil. Libr VIII c. 6. vel sic tamen id ipsum erroris genus subinde excusari potest, vel usu, tanquam si quis, solem dixerit lampada coeli secund. Virgil. IV. Aeneid. ✗ 6. vel consilio scribentis, quoniam parvis interdum dando excedentia modum nomina risus de industria captatur secund

cundum Quintil. Libr. VIII. Instit. Orat. c. 3.

§ 318. Tertia est, ut ne ducamus &c. Cum vero haec vel summa laus sit verbi transferendi, ut sensum feriat, id, quod translatum est: fugienda fere omnis est turpitudo earum rerum, ad quas animos audientium trahet similitudo, noluit ergo Cicero III. de Orat. c. 41. dici, morte Africani castratam esse Rem publicam, noluit Flaucium dici stercus curiae, quamvis enim sit simile, tamen esse in utroq; deformem similitudinis cogitationem censet, eademq; modo secundum Ciceronem judicavit Quintil. Libr. VIII c. 6. Cum enim tota oratio ad elegantiam et ornatum comparata esse debeat, quomodo translationibus parum honestis et sordidis, illa, quam quaerimus efficietur virtus. Nullus autem modus est florentior, nec qui plus suavitatis et luminis affert orationi, quam cum rebus sensu carentibus, mutis et inanimis actum quendam, vitam et animam damus, quod Aristoteles summus et Philosophus et Rhetor III. Rhetor. c. 11. exemplis Homeri approbat, item alii Rhetores, velut Demetrius Phalereus in aureo Libello περὶ τῆς Ἑρμηνείας p. m. 37. et alii. animadvertemus, tanquam: pontem indignatus Araxes apud Virgil. I Aeneid. v. 728. herbae sitiunt apud eundem IV Georg. v. 402. moenia surgunt I. Aeneid. v. 437. Eodem pacto sitire agros, laetas esse segetes, luxuriosa frumenta apud Cicer. in Orat. c. 24. Neq minus laudantur metaphorae quae rebus incorporeis, velut corpus tribuunt tanquam: ipsa oratio jam nostra caneſceret, haberetq; suam quandam maturitatem et quasi senectutem apud Cicer. in Bruto c. 2. oratio flaccescebat ap. Cicer. in Brut. c. 24. opinionem hanc ratio convellit et labefactat ap. Cicer. pro Cluent. c. 4. Delectationis ratio in eo est, quod ejusmodi translatio ad ipsos sensus admovetur maxime oculorum, qui sensus est acerrimus.

§ 319. In usu autem metaphorarum &c. Tres vero generatim de Metaphorarum usu leges sunt tenendae. Primum ut dilectum habeamus 2dō ut genus translationis servetur. 3tiō ut parci simus, nec eas nimis cumulemus. Primum quae ratio dilectus sit, superius a me dicta ostendent, etenim res quaq; ornantur verbis non qualemcunq; sed aptissimam similitudinem continentibus, ne diversarum rerum attributa nectamus, qua in re cernitur tropi observantia, diversa ab Allegoria, quam tamen Rhetores subinde confundunt. Enimvero cum rem asserimus similem, cujus rei causa similitudinem attulimus verba quoq; ad similitudinem accommodata esse debent. Ita praeclarum est exemplum Magistr. Herenniani IV. Rhetor. c. 48. falsi amici sereno vitae tempore praesto sunt, simul atq; hiemem fortunae

fortunae viderint devolant omnes. In quo tamen legis judicio cavendum est, ne nimis delicati et fastidiosi simus, multa enim usurparunt interdum boni etiam Scriptores et Poëtae, quae non videntur offendisse quemquam. propterea nescio an nimis severe judicaverit Vossius IV. Inst. Orat. c. 6. cum existimaret, neq; Ciceronem, neq; Catullum hujus legis memorem fuisse, sed dissimilium rerum attributa conjunxisse, veluti Ciceronem in hoc pro Rosc. Amer. c. 1. Nequaquam tamen similiter oratio mea exire atq; in vulgus emanare poterit. Ejus enim generis innumerabilia paene apud alios Latinitatis auctores et Ciceronem occurrunt. Ita: ex illius animo, quod semel esset infusum, unquam effluere potuisse II. de Orat. c. 74. Ita nonnihil repugnantiae inesse videtur in hac locutione: auribus respuere, oris enim est proprie conspuere, respuere, vel sic tamen saepius occurrunt, tanquam: quid aures hominum magis respuunt? apud Cicer. in Pison. c. 20. Neq; culpandus ideo erat a Vossio Catullus, quod dixerat: tenuis sub artus flamma dimanat Carm. XLVIII: v. 9. quoniam dimanare potius est rivi cujusdam, quam ignis et flammae, vel si tamen igni propter velocitatem motus, etiam fluere et dimanare tribui potest vid. Cerda ad Virg. III. Aeneid. v. 372. Neq; satis aequum est tam severis legum vinculis Poëtas alligari. Inepti profecto sunt Magistri, qui saepius licentias poëticas intrudunt, ignorantes scilicet non hujus libertatis causam esse metri necessitatem, sed oris ipsius poëtici diversitatem. Atq; in toto hoc quoq; de metaphoris tenere mutatis judicio, nescio an nonnulli Rhetores etiam fallantur; non enim inter Subjecti, quocum copulatur aliquod verbum vel adjunctum proprietatem et translationem distinguunt. Etenim cum subjectum ipsum metaphoricè expressum fuerit, male profecto dissimilium rerum attributa junguntur. uti etiam generatim tenendum est, quae in subjecti proprietatem non cadunt, ejusdem quoq; translationi minime accommodari posse, tanquam, si finem ponas pro causa, (: quo referri omnem agendi rationem oportet:) reliqua etiam omnia verba jungantur, quae cum fine proprie sic dicto Latine necti possunt. Si improprio fini adjuncta, bonus, malus, magnus, laudabilis; et verba: eligere, praeferre inepte alligaveris, quoniam de fine, qui proprie dicitur, usurpari non solent.

De verbo

De verbo tamen habere, non est, quod Rhetori Nostro assentiam, quandoquidem apud Cicer. in Somn. Scipion. c. 20. legitur: habeat necesse est vivendi finem, qui finem habet motus. Amant Latini, certum, summum, legitimum finem, tanquam certum finem apud Horat. Epist. 1. Epist. 2. v. 56. Eodem pacto cum gradu, improprie, de initio et progressione artis doctrinaeq; non bene sociaveris adjuncta, magnum et perfectum, quoniam gradui proprio non conveniunt, sed dices, primum, secundum, infimum, summum. Proinde Hermogenes l. de Ideis c. 6. pariter atq; Longinus περὶ τοῦ ὕψους Sect. 3. recte Gorgiam reprehenderunt τοὺς ζωντας appellantem τοὺς ἐμψυχους vultures, sepulcra viva. Stolide profecto. Sepulcris enim, quae hic improprie dicuntur, jungi non potest τὸ vivum, quoniam in sepulcrum proprie sic dictum, idem adjunctum cadere nullo modo potest. Ita Longinus si in vitam redire potuisset, audiisseq; se ab Eunapio Sophista laudari: βιβλιοθηκην ἐμψυχον et περιπατὸν Μουσαιον i. e. vivam bibliothecam, et ambulans Musaeum, vix continere risum potuisset. Minime vero hujus peccati reos dixeris Ciceronem et Ovidium, ut volunt Tollius et Pearcius, interpretes Longini, quoniam ille Pisonem in Orat. in Pison. c. 4. bustum rei publicae; hic vero: bustum miserabile nati VI. Metam. v. 605. dixerit. Nam Cicero non bustum vivum appellavit, sed simpliciter Pisonem l. l. mox; bustum rei publicae, mox: bustum legum omnium vocavit. Nec quicquam repugnantiae inest in adjuncto, miserabile, quod busto etiam proprio assignari potest. Manet ergo subjecto translato non ea vocabula tribui posse, quae proprietati apta non sunt. Secus contra se res habet, si propria subjecti vis potestasq; exprimatur, hac enim in causa id ipsum subjectum varias Metaphorarum formas recipere potest, veluti cum Horat. l. Epist. Epist. 1. v. 39. Nemo, inquit, adeo ferus est, ut non mitescere possit, Si modo cultura patientem praebeat aurem. Ajunt enim, qui minus subtiliter interdum alieno loco, in litteris philosophantur, in una sententia ter mutari genus translationis, nam feritatem animantium esse, quae cicurantur; mitescere fructuum, qui acerbi sunt, et proprie mitescunt; culturam denique agrorum. Verumtamen subjecti verbum est proprium, cui nulla Metapho-rarum adversatur, vitiose contra diversas posuisset Metaphoras, si ipsum subjecti vocabulum metaphoricum fuisset, tanquam si scripsisset: nullius in-

genii

genii agrum esse tam ferum, qui non mitescere possit. Interim veteres interdum neglexisse conservationem tropi exemplis illustravit Doctissimus Rollinus in via Discendi et Docendi Bonas Litteras (: Franco Gall. et non possum satis commendare, in primis Tom. II. ubi est optima Rhetorica :)

§ 320. Illud quoq; praecipere solent &c Tertia et vulgaris Rhetorum praeceptio est, ne metaphoras nimis accumulemus, verendum enim esse ajunt, ut taedium afferant audientibus, et orationem obscurent. vid. Cicer. III. de Orat. c. 25. vel si tamen, quantumvis non negem, uti in aliis rebus omnibus, si in oratione tenui praesertim videndum esse quatenus quoniam suus cuiq; modus est, nihilominus tamen censeo hanc ipsam legem de metaphoris non multiplicandis, si universe accipiatur minem veri esse, cur ergo Cicero docuisset, ut translatis uteremur frequenter? III. de Orat. c. 52. cur praestantissimi quiq; Scriptores, velut Plato, Xenophon, Cicero, totas interdum Disputationes metaphoris impleverint tanquam in Descriptione Corporis humani, Plato in Timaeo p. m. 542. Xenophon in Memorab. Socrat. Libr. I. p. 725. Opp. et Cicero II. de Nat. Deorum c. 56.

§ 321. Ceterum quoniam &c Haec interpretatione non indigent.

§ 322. Metonymia est vocis a propria &c Alterum genus tropi, quod in conjunctione rerum positum est, dicitur vulgo Μετωνυμία ex μετα et ὄνομα, quasi transnomen, unde nonnullis etiam olim dicebatur, transnominatio, velut Isidor. I. Origin. c. 36. aliis aliter appellatur. Interim quia hac ipsa voce nihil est vulgatius, Metonymiae nomen retinendum est. Quintiliano Libr. VIII c. 6. definitur, nominis pro nomine positio, cujus vis est, pro eo, quod dicitur, causam propter quam dicitur ponere. Quadruplicis autem modi est: causae, effecti, subjecti et adjuncti.

§ 323. Causae verbum late patet &c Causae vocabulum latius patet denotatq; omne id, quod ad efficientem materiam et finem spectat. per efficientem intelligimus vel inventorem, vel inventum, ut si quis Cererem pro frugibus, Liberum sive Bacchum pro vino, velut in illo Terent. in Eunuch. IV: 5: 6. Musas pro Litteris in universum, tanquam in illo Ciceronis: silent diutius Musae Varronis, quam solebant I. Acad. Quaest. c. 1. vel figillatim pro poësi, veluti apud Cicer. pro Archia c. 9. Neq; enim quis-

quam

quam est tam aversus a Musis i. e. poësi. Minervam et Dianam pro litteris et venatione, tanquam in illo Plinii 1. Epist. Epist. 6. Tum Linguam pro sermone, veluti: Latinam Linguam non modo non inopem, sed locupletiorem esse quam Graecam 1. de Fin. d. et M. c. 3. Manum pro chirographo i. e. tabula manuscripta exemplo Cicer. VII. ad Attic. Epist. 2. Humanitatem pro misericordia, exemplo Cicer. 1. de Offic. c. 11. dixerit. Causae vero illius, quae in materia est, exempla haec sunt: cum Plautus cornu, pro lucerna cornea usurpat in Amphitr. 1: 1: 188. Tum aurum, pro numis aureis, exemplo Cicer. pro Cluent. c. 64. Argentum, pro argento signato, exemplo Plaut. in Pseudol. 1: 1: 88. Metonymiae finis exempla ejusmodi sunt; cum exemplum pro animadversione, unde sibi capiant alii exemplum, sumitur apud Terent. in Adelph. V: 1: 9. Custodia pro carcere apud Cicer. 1. Catilin. c. 8. item pro custodibus vel apparitoribus, tanquam apud Cicer. III. Verrin. c. 24.

§ 324. Aeque late patet effecti &c. Alterum Metonymiae genus priori contrarium est. Uti enim in priori causa efficiens, materia et finis ponitur pro re effecta: ita in hoc effectum sumitur pro causa. Unde etiam tripliciis generis exempla notanda sunt. rei quippe effectae pro causa efficiente. tanquam, pallere, pro timere, veluti apud Horat. 1. Ep. Epist. 3. ad 10. Pindarici fontis qui non expalluit haustus. Umbra pro arbore, uti apud Ovid. XII. Metam. ad 513. nec habebat Pelion umbras. Tum pernicies, pro re perniciosa, exemplo Ciceronis Verrem nominantis, labem atq; perniciem provinciae Siciliae in Action. Verrin. c. 1. Quo ratio et oratoribus et poëtis frequens est, veluti: pallida mors apud Horat. 1. Carmin. Od. IV. ad 13. pallentes morbi tristisq; senectus apud Virg. VI. Aen. ad 275. Porro materiatum, ut vocant, pro materia, veluti: fertum pro floribus apud Virg. Eclog. X. ad 41. Panem vero pro farre aut tritico apud Latinitatis auctores non memini. Tum Metonymiae destinati ad finem, pro fine, exemplum hoc esse potest: zonam solvere, pro coire, tanquam apud Catull. II. Carmin. ad 2. quod zonam solvit diu ligatam. Posteriora tamen duo genera sunt rariora, et poëtis duntaxat permissa. Quibus duabus formis respondent ea, quibus antegressa cum consequentibus miscentur, Graeci μετάληψιν vocant. veluti si quis: memorem esse pro gra-

tum se

tum se praestare, veluti apud Terent. in Adelph. II: 2: 43. memorem me dices esse. Item: cadere pro interfici, veluti: Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra apud Virgil. 1. Aeneid. v. 334.

§ 325. Subjectum laxe admodum de Metonymia Subjecti et adjuncti latissimo accipitur sensu, continetur q; omne id, cui quid inest, adest, respondet, et in quo quid versatur, veluti a possessore quod possidetur, veluti: Claudius venalis pependit apud Sveton. in Claud. c. 9. i. e. Claudii praedium pendente titulo et libello proscriptum est. 2do loco ab eo, quod continet, id quod continetur, tanquam: Africa tremit, pro Afris apud Cicer. III. de Orat. c. 42. Alia exempla dabit Dan. Pareus in Elegant. Regulis. Reg. 89. 3o ab eo, quod signum est, id quod signatur, tanquam toga pro pace, arma pro bello, in notissimo illo Cicer. Cedant arma togae &c ita apex pro sacerdotio, veluti: apicem dialem imponere, pro flaminem dialem creare apud Liv. Libr. VI c. 41. 4to cum ponitur tempus, pro re, quae in tempore est, velut dies pro judicio apud Cicer. 2. Verrin. c. 15. 5to res quae in tempore est, vel fit, pro tempore, veluti messis pro anno, exemplo Ovid. Epist. VI. Heroid. v. 52. tertia messis erat, pro tertius annus erat. item pro aestate apud Virgil. Eclog. V. v. 7. 6to cum objectum ipsum, pro eo, qui versatur in aliquo objecto usurpatur, tanquam coelum pro coelitibus, veluti: Coelo gratissimus amnis apud Virg. VIII. Aeneid. v. 64. Jupiter pro coelo et aëre: manet sub Jove frigido venator apud Horat. 1. Carmin. Od. 1. v. 25. Dux pro exercitu, tanquam, cum ab Annibale apud Cannas 60000. Romanorum caesa esse dicuntur apud Quintil. Libr VIII c. 6. Sic leges pro judiciibus, veluti: inter arma silent leges i. e. judices apud Cicero. pro Milon. c. 4.

§ 326. Ex quibus patet, quam varius de Ex his vero omnibus intelligitur, quam varia sint μετωνυμίας genera, et quam multiplex ejus usus cum ad illustrandam, tum locupletandam orationem. Vis enim ejus tropi duplex est, sive ad ornatum, sive ad copiam idoneam. Interim multum refert, in quantum tropus ille, vel oratorem vel poëtam sequatur. Nam ut Vulcanum pro igne vulgo audimus, et vario Marte pugnatum, ut sepius apud Livium; item pingvem Minervam, veluti apud Cicer. in Laelio c. 5. si frequenti Senatu causam tuam egi non invita Minerva XII. ad Divers. Epist. 25. magis decet, quam soluto sermone Liberum et Cererem pro

vino

vino et pane uti, legatur hic omnino Quintil. Libr. VIII c. 6. Interim ipse Cicero III. de Orat. c. 43. monet auribus et consuetudini parendum, sane Cererem corruptam undis, pro frumentum aqua corruptum nemo sane praeter poëtam dixerit, tanquam Virgil. 1. Aeneid. ℞ 177.

§ 327. Synecdoche est permutatio &c Synecdoche a verbo συνεκδέχεσθαι una recipere, est translatio verborum propter internam conjunctionem qualis est inter totum et partes, genus et formas, formas item et res singulares, mutuaq; omnium illorum permutatio, conferatur hic rursus Quintil. Lib. VIII: c. 6. Illud autem totum latius sumtum amplectitur genus cum suis formis, formas cum singulis. Ita mortales pro hominibus, veluti Mario a multis mortalibus honestissima suffragatione Consulatus petebatur apud Sallust. in Jugurth. c. 92. Sidus pro Sole, exemplo Horat. III. Carmin. Od. 1. ℞ 43. Vel femineum et molle sidus pro Luna apud Plin. II. Hist. Nat. c. 101. Urbs pro Roma in multis Veterum Libris et Quintil. Libr. VI c. 3. Poëta pro Homero apud Cicer. in Topic. c. 13. et apud Justinian. paragr. 2. Instit. de Jur. Nat. Gent. et Civil. Cum poëtam, inquit dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud Graecos egregius Homerus, apud nos Virgilius. Aut Comicus pro Aristophane. Et vicissim, cum formae pro generibus ponuntur, veluti abies, pro quocunq; ligno, veluti: Sectaq; intexunt abiete costas apud Virgil. II. Aeneid. ℞ 16. Item almus pro Ligno apud Virgil. II. Georg. ℞ 451. Nec non Tempe, quae sunt proprie Thessaliae, pro quocunq; loco amoeno apud Virgil. II. Georg. ℞ 469. Quam permutationem in primis celebrimus in epithetis, velut propter celebritatem Acheloii fluvii, pocula Acheloia satis audacter et poëtice sumuntur, pro quacunq; aqua, tanquam apud Virg. 1. Georg. ℞ 9. Item sagittae vel spicula Cydonia, tanquam praestantissima, pro quibuscunq; sagittis apud Virg. Eclog. X. ℞ 59. arcum enim Cydonium non memini me legere. Tandem cum formae pro individuis sive singulis et contra usurpantur i. e. cum res communis pluribus in uno aliquo habet nomen eximium ut loquitur Quintil. Libr. VIII c. 2. Praeterea totum illud sive a natura, sive ab integritate, mox essentiale, mox integrale nominatur. Totum essentiale vulgo dividunt in materiam et formam. Totum integrale vocant, quod diversas habet partes quantitate distinctas. Prioris generis totius quod appellant, essentialis pro parte et vicissim hae sunt exempla: homo pro corpore, ut in illo Virgilii VI Aeneid. ℞ 506 te amice nequivi conspicere i. e. corpus tuum. Item pro anima sola, uti

contra

contra pars essentialis pro toto essentiali, uti anima pro toto homine. Sic: vos meae carissimae animae quam saepissime ad me scribite apud Cicer. XIV. ad Divers. et: animae quales non candidiores terra tulit apud Horat. I. Sat. Satyr. 5. v. 41. Posterioris generis h. e. totius integralis pro parte, ut mare pro aqua marina secundum Rhetorem Nostrum, cujus tamen exempli argumentum desidero. Orbis terrarum, pro Imperio Romano apud Cicer. IV. ad Divers. Epist. 1. Elephantus pro ebore, ut: in foribus pugnax ex auro solidoq; elephanto apud Virgil. III. Georg. v. 26. Contra pars pro toto integrali, ut caput pro homine velut apud Terent. in Adelph. V: 9: 9. o lepidum caput! Sic: duo millia liberorum capitum apud Liv. Libr. XXXI: c. 21. item: pectus pro homine, tanquam pectus amicum, pro homine nobis amico apud Ovid. III. Art. Amat. v. 737. Ad hoc Synecdoches genus refertur quoq; numeri permutatio, cum singularis pro plurali, et vicissim multitudinis numerus pro singulari ponitur. Ita Livius saepe dicit: Romanus proelio victor, cum Romanos victisse significat, et contra: nos Consules introduximus paene in urbem currum clarissimi viri apud Cicer. IV Academ. Quaest. c. 1. Deinde certus numerus pro incerto, velut: sexcenta exempla, pro multis apud Cicer. II. de Divinat. c. 14. et: sexcenta sunt, quae memorem, si sit otium apud Plaut. in Aululax. II: 4: 41. Aut rotundus pro majori vel minori sive cavo, ut cum Olympias dicitur habere quinq; annos, velut quinquennis Olympias apud Ovid. IV. ex Ponto Epist. 6. v. 5. aut cum Centumviri apud Romanos dicebantur, qui proprie erant centum et quinq; vid. Festus Grammat. in voce Centumviralia Judicia. Synecdoches quoq; forma est ἀντονομασία ab ἀντονομάζω quasi dicas, pronomino, nomen commuto, quae videlicet nomina permutat, unde Latinis pronominatio veluti Magistro Herenn. IV. Rhetor. c. 31. olim Latinis vocabatur nomen, uti Graecis ὄνομα de re et persona finita propriaq; uti, Paris, Helena, usurpabatur, vocabulum vero Graecis. λεξις de re communi vid. Varro VII. de Ling. Lat. c. 23. et 41. Ita patronymicum sumitur pro proprio, uti Anchisiades pro Aenea apud Virg. VI. Aeneid. v. 126. Aeneadae pro Romanis vid. Servius ad Virg. I. Aeneid. v. 157. Aeacides pro Pyrrho ex Apollinis Oraculi responso apud Cicer. II. de Divinat. c. 56. Ajo te Aeacida Romanos vincere posse. Aut gentile ut: dux Trojanus, pro Aenea apud Virg. IV Aeneid. v. 124. Tyrinthius heros pro Hercule apud eundem VII. Aeneid. v. 662. Thessalius pro Achille apud Senec. Tragic. in Troade v. 178. et: Erycina pro Venere, apud Horat. I. Carmin. Od. 2. v. 33.

§ 328

§ 328. Hujus quog tropi &c Hanc paragraphum vel unicus Fabii locus illustrabit, qui hic apponendus et legendus VIII. Instit. c. 6. paragr. 19.

§ 329. Ironia est permutatio &c De verborum permutatione ob rerum conjunctionem satis dictum est. Superest alter modus translationis ob dissimilitudinem, qui vocatur Graecis εἰρωνία ab εἴρων dissimulator, qui aliter loquitur atq sentit, inde proprio Latinis vocabulo, dissimulatio dicitur, veluti apud Cicer. II. de Orat. c. 62 item; illusio, apud eundem III. de Orat. c. 53. et Ciceroni quidem dicitur esse urbana dissimulatio, cum aliud verbis, aliud sententia demonstrari velis, quale est, cum laudis simulatione, laudem alicui detrahimus, virum bonum et sanctum appellando pro improbo, tanquam cum Cicero commodius ait a quibusdam optimis viris ad medium Janum sedentibus, quam ab ullis philosophis disputari II. de Offic. c. 25. aut cum Verrem vocat hominem sanctum et religiosum V. Verrin. c. 19. et Marcellum, sodalem Catilinae virum optimum nominat I Catilin. c. 8. Est autem haec ironia duplex: altera cum toto orationis genere alia dicas, alia sentias, in qua multum leporis, humanitatis, facetiarum et urbanitatis inest sine irrisione stomachosa. Altera singulis locutionibus vocabulisq contraria, ludens cum irrisionis quadam acerbitate. Illam vocamus Atticam et Socraticam, quoniam Socrates in istiusmodi ironia dissimulantiaq longe omnibus praestitit secundum Cicer. II. de Orat. c. 67. Socrates enim cum de se ipse detrahens in disputatione plus tribuere soleret iis, quos refellere volebat, aliud quid diceret, atq sentiret, lubenter utebatur ea dissimulatione, quam Graeci εἰρωνίαν vocant, tanquam saepius usurpabat verba; κατηγορεῖν, διαβάλλειν, κατεπεῖν, accusare, arguere, pro ἐπαινεῖν qua verborum et locutionum humanitate tanquam sale respersus est integer locus Xenoph. in Memorab. Socrat. Libr. II. a pag. 749 §77. Atq de hoc genere Ironiae Socratico accipiendus est locus Ciceronis III. de Orat. c. 53. Altera vero mordax et acrior est, unicq ad irrisionem spectat, ut exempla antea laudata demonstrant. Interdum obscurius ponitur Ironia, cujus tamen vis saepe intelligitur, aut pronunciatione aut rei natura secund. Quintil. VIII. Instit. c. 6. Ita 1mo pronunciatione, veluti, cum Cicero ridens, contraria iis dixit, quo intelligi voluit in Clodium: integritas tua te purgavit, mihi credo, pudor eripuit, vita antacta servavit, quod exemplum Ciceronis extat apud Quintil. loco laud. 2do cohae-

rentia orationis sive contextu, veluti in Oratione Catoniana apud Sallust. in Bell. Catilin. c. 52. vos cunctamini etiam nunc et dubitatis quid intra moenia deprehensis hostibus faciatis miserearnini censeo deliquere homines adolescentuli per eruditionem. Quodsi minus perspicuum sit ironice an serio loquamur non incongruum erit subjungere quasdam particulas, scilicet, vero, quippe, quasi, sane, nimirum, festive, tanquam in illo pulcherrimo Terentii: id populus curat scilicet in Andr. I: 2: 14. auro repensus scilicet acrior miles redibit i.e. miles auro et pecunia redemtus fortius dimicabit apud Horat. III. Carmin. Od. 5. v 25. egregiam vero laudem apud Virg. IV. Aeneid. v 93. festive praeclara aedilitas ap. Cicer. pro Sextio c. 64.

§ 330. Ad ironiam malim &c. Hac in re dissensit Rhetor Noster a ceteris nostrae aetatis Rhetoribus, tanquam Vossio IV. Instit. Orat. c. 10. sect. 8. p. m. 183. et aliis, qui λιτότητα (a λιτος tenuis, vilis, exiguus) quasi extenuationem ad Syrecdochen partis retulerunt. Mavult enim ironiae formam esse nec immerito. minus quidem dicitur quam intelligitur, sed contrarii tamen negatione plus scimus, quam dicimus, veluti, non sperno, pro cupio, amore prosequor, uti: munera nec sperno, pro lubens accipio apud Virg. VII. Aen. v 261. non laudo pro valde reprehendo apud Terent. in Andr. II: 6. 24. Cujus generis locutiones tantum abest, ut imminuant aliquid, ut potius augeant, quod tenendum est in primis adversus illorum ἀκρισίαν, qui pro moribus seculi nostri alios immoderatius laudant. Sic cum Livius Polybium vocavit haudquaquam spernendum auctorem i.e. testem Libr. XXX: 45. et non incertum auctorem cum omnium Romanarum rerum, tum praecipue in Graecia gestarum Libr. XXXIII: 10. opinantur vulgo Livium Polybio laudem invidisse, cum eundem non mediocriter celebravit, auctor enim minime spernendus et non incertus idem est atq praestantissimus certissimusq. ita Pythagoras apud Horat. non sordidus auctor naturae verig i.e. nobilissimus philosophus et rerum naturalium speculator I. Carm. Od. 28 v 14. Quo vel solo argumento discimus quantopere hodie abhimus a vero sensu Latini sermonis. Sic cum Cicero Cajum Norbanum seditiosum et inutilem appellat civem II. de Offic. c. 14. Virgilius Busiridem illaudatum vocat 3. Georg. v 5. vehementer locuti sunt. inutilis enim idem est atq perniciosus, et illaudatus aequiparat hominem valde nequam, quae jam animadvertit Sam. Clark ad Homer. Iliad. β. v 269. et dudum ante eum Casaubonus ad Polyb. Fragment. p. m. 1547. edit. Gronov.

§ 331. Neq minus ironiae &c. Ad ironiam non male quoq referri potest εὐφημισμὸς, quoniam hujus beneficio res odiosae et ingratae designan-

tur

tur verbis lenioribus nec ingratis, adeoq contrarium saepe diversum certe intelligitur, quo respicit Quintil. Lib. VIII: c. 6. tanquam cum abitionem et abire, pro morte et mori ponerent veteres vid. Festus Grammat. in voce abitionem et abire pro mori exemplo Phaedr. IV. Fab. Fab. XIX. v. 16. abiit quo priores abierunt. aut ejusmodi formulis utuntur pro mori, si quid humanitus acciderit apud Cicer. 1. Philipp. c. 4. si quid sibi evenerit apud Sveton. in Caesare c. 87. si quid filio meo acciderit apud Pompon. Ictum Lege 162. paragr. 1. de Verbor. Signif. Sic Themistocles suasisse dicitur Atheniensibus ut urbem apud Deos deponerent, quia ominosum erat dicere ut urbem relinquerent et desererent apud Quintil. Lib. IX c. 2. Negis εὐφημισμος vel urbanitas loquentium tantum in nominibus aut verbis cernitur, sed etiam in adverbiis, tanquam cum recte in responsione aliquando usurpatur, cum fine injuria interrogantis aliquid reticemus ut Donatus ad Terent. Heyr. III: 2: 20. annotavit. Nonnulla alia dictionis genera a Rhetore Nostro allata male in tropis, nominatim Ironiae formis reponuntur. rationes cur in tropis locum habere non possint, ne actum agam, docebit Vossius IV. Instit. c. 13 sect. 2 sqq. ipsas saltem hoc loco vocabulorum causas dabo: σαρκασμος est irrisio hostilis ἀπὸ τῆς σαρκαζειν quod proprie usurpatur de canibus ossa rodentibus, et carnes detrahentibus. διασυρμος est cavillatio extra salutis periculum ἀπὸ τῆς διασυρειν elevare, extenuare. χαριεντισμος ἀπὸ τῆς χαριεντιζεσθαι cum graviora lenissimis verbis mitigantur. ἀστεισμος propie urbanitas ab ἀστιζομαι popularitate sermonis utor. μυκτηρισμος ἀπὸ τῆς μυκτηριζεσθαι adunco aliquem suspendere naso. a μυκτης nasus. μιμησις ἀπὸ τῆς μιμεισθαι. Unicum Asteismi exemplum dare liceat, tanquam cum Cicero generum suum valde exiguum statura hominem, sed gladio cinctum sic irridebat, quis vero mortalium generum meum ad gladium alligavit? apud Macrob. II. Saturnal. c. 3.

§ 332. Sed sunt etiam quinq; &c. Praeter quatuor hos primarii ordinis tropos tenenda etiam sunt quinq; alia secundarii ordinis troporum genera, metalepsis &c. &c. Metalepsis a μεταλαμβανειν est quasi translatio, quae ex alio in aliud velut viam praestat secundum definit. Quintiliani. Lib. VIII c. 6. adeoq troporum vel duplex vel multiplex in eadem voce confociatio, tanquam in illo Virgil. Eclog. 1. v. 70. Post aliquot (mea regna) videns, mirabor aristas? ubi in aliquot aristis duplex Synecdoche et Metonymia. nimirum arista per Synecdochen partis pro segete, tum

seges

seges, per metonymiam subjecti pro aestate, et tandem aestas per Synecdochen partis pro anno. Porro cum Ovidius ingenue ait: Ipse ego segnis eram discinctaq; in otia natus 1. Amor. Eleg. IX. v. 41. duplicem metonymiam in discincto exhibet otio. prima enim metonymia effecti est, quod discinctos facit, altera adjuncti cum discinctum ponitur pro desidioso. Sic Metonymiam cum Metaphora habemus in illo Virgilii IV. Georg. v. 42 et 43 Sub terra fodêre lares, primam Metonymiam cum lar quasi Deus domesticus pro domo ipsa ponitur. alteram Metonymiam cum domus de cavernis apum usurpatur.

§ 333. Allegoria est tropi ejusdem Vt. Uti metalepsis est cum plures concurrunt tropi in una voce; ita in allegoria, quae est ἀπὸ τοῦ ἄλλο ἀγορεύειν. ἄλλο γορεύειν est plurium vocum translatarum per integram sententiam complexio. quae cum sit variorum troporum sive per metaphoram, sive Metonymiam, sive Synecdochen continuatio, facilis ad conjiciendum ratio est, cur minime misceri debet cum tropi h.e. Metaphorae solius conservatione in una aliqua locutione, quacum tamen saepe a nonnullis tanquam Heineс. in Fundam. Stil. Part. 1. c. 2. paragr. 30. confunditur. Imo allegoria legitima totum aliquod sententiae argumentum uno similitudinis genere, quanquam diversis interdum tropis persequitur. quales allegoriae fuerunt Socratis cum amicitiae parandae modos per metaphoras a venatione et veneficiis apud Xenoph. in Memor. Libr. II. p. 742 sqq. et Lib. III. a pag. 784. et a lenociniis apud eundem Xenoph. in Sympos. sumtas demonstravit. Non autem est allegoria, sed tropi duntaxat in una dictione conservatio, si dixeris cum Rhetore Nostro: multos virtutis et suavitatis suae lenociniis ad amicitiam pellexit. aut: si qui voluptatibus ducuntur, et se vitiorum illecebris cupiditatumq; lenociniis deditos erunt apud Cicer. pro Sextio c. 66. Porro allegoria est in illo Horatii II. Carmin. Od. X. v. 23. Sapienter idem contrahes vento nimium secundo turgida vela. Non vero in hoc Ciceronis II. de Orat. c. 44. ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do. aliquanto magis in illo Quintilian. Lib. VI. c. 3. cum fragosis atq; asperis evecti tota pandere possumus vela. Neq; per metaphoram solum continuatur allegoria, sed etiam per metonymiam, tanquam in illo Terentii in Eun. IV. 5. 6. Sine Cerere et Libero friget Venus, ubi triplex Metonymia causae, venustas abesset, si pro Cerere, Libero, et Venere usurpaveris propria verba. Tum allegoria per ἀντονομασίαν Synecdoches speciem cernitur in illo Virg. Eclog. IV. v. 34. Alter erit tum Tiphys et altera quae vehat Argo ad quem lo-

cum

cum operae erit pretium legere Servium. Ceterum cavere nos debemus ne allegoria degeneret in aenigma aut apologum, fabulam dicere non ausim, saltem in oratione ubi sensus dicendi popularis regnat, quae praeceptio est Cicer. III. de Orat. c. 42.

§ 334. Catachresis est durior tr. κατάχρησις ex κατὰ et χρᾶσθαι utor, Latinis est abusio, quae verbo simili et propinquo, pro certo et proprio abutitur. eo modo verbum aedificare, etsi proprie de aedificiis sumitur, tamen ne durum quidem videtur cum aliis idem rebus accommodatur. nemo enim dubitat, quin dici possit aedificare navem classem, postquam Cicero V. Verrin. c. 17. et Virg. de Equo Trojano II. Aeneid. ℣ 16. usus est. verumtamen stagnum pro mari, aut medium liquorem qui Europam ab Africa secernit pro mari mediterraneo soluta oratio plane respuit, tametsi usitatum Virg. I. Aeneid. ℣ 126. et Horat. 3. Car. Od. 3. ℣ 46.

§ 335. Hyperbole est tropus augens tr. Interdum Orator rem supra fert, quam fieri potest, ut loquitur Cicero in Orat. c. 40. unde oritur ὑπερβολὴ ex ὑπερβάλλειν super-injicere, Latinis superlatio. habet enim elationis vel submissionis quandam velut audaciam, unde cum Catachresi non immerito coalescere possit, veluti augendo ut: candidior cygnis ap. Virg. Eclog. VII ℣ 38. Item cum Cicero Antonium prodigum et paucis diebus omnia effundentem describit II. Philipp. c. 27. Quae Charybdis, inquit, tam vorax? qui Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse. Neq; alia est ratio minuendi, tanquam: vix ossibus haerent apud Virg. Eclog. III ℣ 102. Iro pauperior apud Martial. V. Epigr. Epigr. 40. ℣ 9. Quamvis autem hyperbolae omnes ultra fidem sint, tamen hae maxime probantur, quae servant quandam rei mensuram, nec ita mentiuntur, ut omnis fides tollatur. quo magis intuendum est, quousq; deceat extollere quod nobis non creditur, quae verissima est praeceptio Longini περὶ τοῦ ὕψους Sect. 38. Quod tamen non ea tantum modo fit, quem Longinus ibidem tradit, scilicet si temporum gravitas animum exasperet. Imo pluribus modis exorientur; aut enim proverbiorum vicem sustinent, uti: melle dulcior oratio fluebat apud Cicer. de Senect. c. 10. et de homine inconstanti et desultorio, pluma aut folio facilius movetur apud Cicer. VIII. ad Attic. Epist. 15. aut res ipsa, de qua loquendum est, naturalem modum excessit, tanquam cum de navibus Cleopatrae Antonio auxilio missis, quae insuetae erant magnitudinis Virgilius ait pelago credas innare revulsas Cycladas VIII. Aeneid. ℣ 691.

§ 336. Emph.

§ 336. Emphasin Rhetoricam &c Cum scão saepe est major quam oratio secundum Cicer. in Orat. c. 40. locum habere dicitur emphasis, vim orationis magis intendens quam si propria usi fuissemus, velut; incensus ira, accensus cupiditate; ita quidem philosophatur Vossius IV. Instit. c. 12 sect. 10. Verum si dicendum, quod res est, non majorem profecto eo in genere vim habent translata quam propria verba. Neq enim ira incensus idem est qui iratus nude et simpliciter, sed vehementer iratus est, adeoq non majorem habet ἔνεργειαν tropus, quam locutionis proprietas. Sic cum multi in humanarum artium libris arguentur verba interdum ad emphases revocando, velut cum in indagatione et investigatione veri apud Cicer. I. de Offic. l. a Rhetore laud. c. 4 et 5. majus se aliquid reperisse opinantur, quam in inquisitione et inventione. cum tamen illa cum his vocabulis, consuetudine et varietate loquendi commutentur. Nonnullos etiam interpretes, qui ejusmodi emphases quaerent notavit Rhetor Wolfius in Disput. Philol. de Difficultate Interpr. Grammat. N. Test. Lipsiae 1755. paragr. 26.

Caput III.

De Ornatu e Figuris.

§ 337. Figura est quaedam &c Ad ornatus materiam pertinent quoque Figurae, Graecis σχήματα sumto a personis et gestu Comicarum Tragicarumq histrionum vocabulo. Uti enim histrionum est agere cum dignitate h. e persona, vestibus, gestu, et motu imitari eos, quos fermocinantes inducunt: ita etiam oratio pro rerum de quibus agitur diversitate diversos quasi habitus, gestus, vultus ostendere debet. Nulla quidem figurarum accurata definitio occurrit apud Ciceronem, nec enim generatim eas vocat conformationes III. de Orat. c. 54. nec orationis quasi formas et lumina, quae Graeci vocant σχήματα in Orat. c. 54. Inter plurimos autem, quod sciam, consensum est, duas σχημάτων esse partes λέξεως i. e. verborum vel dictionis vel sermonis, et διανοίας i. e. mentis vel sensus vel sententiarum secundum Quintil. Libr. IX c. 1. His autem figuris utitur Orator vel ad suavitatem vel ad gravitatem. Suavitas est in quadam apta verborum et sententiarum compositione concinnitaq ut aures, quod in fidibus fieri videmus, omni fere permulceamus, et ut similitudinis cuidam fastidio varietate occurramus. Gravitas autem plurimum valet vel hac ipsa copia et varietate.

nihili

nihili enim eloquentia est, nisi adsint amplificandi rationes vel voce quadam libera et impulsione ad incitandos et restinguendos animorum motus idonea, legatur omnino Cicero III. de Orat. c. 52. Ideog cum duae sint virtutes Schematum recte atq ordine fecit Rhetor Noster, cum ostenderet sigillatim quaenam figurae aut dictionis aut sententiae seu suavitati seu gravitati inservirent. Figurae autem dictionis, quae ad orationis suavitatem pertinent, sunt ejusmodi undecim, secundum paragr. 336.

§ 339. Ἀντανάκλασις est cum idem bis Ἀντανάκλασις ἀπὸ τῆς ἀντανακλᾶν, quod idem est atq ἀνακλᾶν refringere, reflectere ex κλάω frango, quasi refractio. Latinis dilogia et geminatio, est cum scilicet continentur unum verbum non in eadem sententia ponitur secundum Cicer. in Orat. c. 39. veluti: dedit ei praerogativam suae voluntatis ejusmodi ut isti pro praerogativis eam reddidisse videatur apud Cicer. in Act. Verrin. c. 9. ad quem locum notanter Ascon. Pedianus pag. 53. Dilogia dicitur figura cum ambiguum dictum duas res ſcat. nam praerogativa praeter justum et integrum beneficium aut dictum, aut factum aliquid ſcat liberalius ab eo, qui nobis benefacturus est; et rursus praerogativae sunt tribus, quae primae suffragium ferunt. Sensus igitur et mens Ciceronis ea est: Metellum pro corruptis pecunia Verris tribubus beneficium retulisse Siculos ad se vocando et ab accusatione Verris deterrendo. Similiter in veteri lapidis titulo apud Gruterum p. 609. Nro 3. amici dum vivimus, vivamus. Cavendum tamen est, ne eaſdem voces diversa in ſcāone ponamus aut productione tantum aut correptione mutatas, quod etiam in jocis frigidum est, eaſdemq tradi inter praecepta mixatur Quintilian. Libr. IX c. 3. quoniam exempla illa potius vitandi quam imitandi gratia poni debebant. Ita frigidum est: amari jucundum est, si curetur ne quid insit amari apud Mag. Herenn. IV. Rhetor. c. 14. legatur hic Rollinus in Methodo Docendi et Discendi: Bonas Litteras Tom. II p. 230. Huic ἀνταναλάσει vel finitima vel subjecta est πλοκή, quasi nexus et junctura ἀπὸ τῆς πλέκειν nectere. habet autem vim ejusmodi, ut vox repetita rei vel personae nomen bis efferat, nox rem et personam proprie, nox utriusq naturam vel mores designans, velut in hoc Ovidii XX. Epist. Heroid. v. 218. talis erit mater: si modo mater erit. vel: iidem Consules ſ. si appellandi sunt Consules, quos nemo est, qui non modo ex memoria, sed etiam ex fastis evellendos putet apud Cicer. pro Sextio c. 14. Ita: mare haud est mare, vos mare acerrimum apud Plaut. in Asinar. I: 2: 8. Non vero me memini legere apud Homerum Ἀχαιοὶ ἔκ Ἀχαιοί, sed potius Ἀχαιΐδες ἔκετ' Ἀχαιοί i.e. Achivae feminae, non enim amplius es-

tis

tis Achivi Iliad. η ℵ 96. Ideoq; hoc exemplum ad πλοκην non pertinet, non enim bis idem vocabulum ponitur.

§ 340. Ἐπαναλήψις est, cum idem &c. Ἐπανάληψις ab ἐπαναλαμβάνειν repetere, iterare, quasi conduplicatio ut Magistro Herenn. IV. Rhetoric. c. 28 dicitur, nihil aliud est, nisi crebra ejusdem verbi tum a primo repetitio, tum in extremum conversio apud Cicer. III. de Orat. c. 54. tanquam: Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo apud Virg. Eclog. VII ℵ 4. Sic cum paribus paria referuntur in principio et fine, veluti in lapide antiquo: Balnea, vina, Venus corrumpunt corpora nostra, Conservant eadem, balnea, vina, Venus apud Fruter. p. 615 nro 11. Ἀναδίπλωσις ex ἀνα et διπλοω. duplico, quasi reduplicatio ut Martiano Capellae dicitur V. Nupt. Philol. et Mercur. p. 175 edit. Frotii. quo quidem Schemate utuntur Poëtae saepius, veluti: Sequitur pulcerrimus Aftur, Aftur equo fidens apud Virg. X. Aeneid. ℵ 180 et 181. Sed ne Oratores quidem raro: sic tamen vivit, vivit? imo etiam in Senatum venit apud Cicer. I. Catil. c. 1.

§ 341. Ἐπάνοδος, cum ordinem dictorum &c. Ἐπάνοδος quasi in eandem viam regressio, propterea Latinis simpliciter regressio vocatur auctore Quintil. Lib. IX c. 3. generatim vocatur commutatio, ejusq; cum duae sententiae inter se diserepantes ex trajectione ita efferuntur, ut a priore posterior contraria priori proficiscatur, hoc modo: esse oportet ut vivas, non vivere ut edas. eodem pacto: si poëma loquens pictura est; pictura tacitum poëma debet esse videte Magistr. Herenn. IV. Rhetor. c. 28. Item: quod sequitur, fugio, quod fugit ipse sequor (: malim tamen cum Heinsio, usq; sequor:) apud Ovid. II. Amor. Eleg. XIX ℵ 36. Sic: gratiam qui refert habet, et qui habet in eo quod habet, refert apud Cicer. II. de Offic. c. 20. Tum πολύπλωτον quasi multos casus habens a πλῶμα, πλωτος caduous, vdq; a πλοω cado, fitq; cum ejusdem nominis casus diversos et verbi tempora personasq; repetit, Cicero hanc figuram περιφραζει aitq; quod in multis casibus ponitur III. de Orat. c. 54. eodemq; spectant ejus multipliciter cadentia in Orat. c. 29. cujus varietatis casuum in nominibus sunt apud Graecos, Sophoclis in Ajace Flagellifero ℵ 878. πονος πονω πονον φέρει i.e. labor, labori laborem affert. apud Latinos: nunquam se minus otiosum esse Scipio dicere solebat, quam cum otiosus apud Cicer. III. de Offic. c. 1. Sic; argumentis agemus, ait Cicero, signis omni luce clarioribus crimina refellemus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione pugnabit, ubi triplex πολύπλωτον est. In verborum vero temporibus illustre est apud Homer. Odyss. τ ℵ 204 sqq. ubi τήκετο -- κατατήκετ' -- κατέτηξεν -- τηκομένης. apud Latinos: insidias factas esse constat &c apud Cicero. pro Milon.

pro Milon. c. ii. Quo in genere tamen maxime cavendum est ne omnem ejusmodi repetitionem figuram interpretemur, quae interdum polyptoti nomine vix digna est, quandoquidem multa interdum veteribus sive rerum sive carminum auctoribus, tanquam Livio et aliis excideruntquae gratae potius negligentiae nomine venire possunt, de qua grata negligentia orationis Rhetor Noster bene disseruit in singulari Prolusione Lipsiae edita. Inspiciatur vel solus Cicero VIII. Philipp. c. i. multa memini, multa audivi, multa legi, nihil ex omni seculorum memoria tale cognovi. Inspiciatur quoq. vel solus Index rerum et verbor. in Livio Drakenbor. Tom. VII. voce repetitio.

§ 342. παρηχημένον est conjunctio ex παρηχημένον a παράγω provehoproduco quasi derivatum, est copulatio vocabulorum ejusden propaginis. item simplicium et compositorum. Prioris formae haec sunto exempla apud Ciceron. quin etiam ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. ita sordido ancillarig artificio regiae virgines, et tonstriculae tondebant barbam et capillum patris v. Tusc. Quaest. c. 20. ubi triplex παρηχημένον tondere, tonsor, tonstricula. item: et nati natorum et qui nascentur ab illis apud Virg. III. Aeneid. v. 98. Posterioris generis est in illa Juliani Imperatoris responsione cum scripta ad Episcopos epistola (semper Graece scribebat Literas et omnia, quamvis Latinus esset) ipsorum Libros dictatorio spiritu damnaret: ἀνέγνων inquiens, ἔγνων, κατέγνων legi, cognovi vel intellexi, damnavi. Cui vicissim omnium elegantissime Basilius Magnus insignis tum Christianorum Theologus hoc repositit: ἀνέγνως ἀλλ' οὐκ ἔγνως. εἰ γὰρ ἔγνως οὐκ ἂν κατέγνως i. e. legisti quidem, sed non intellexisti, si enim intellexisses non damnasses vid. ibi Sozomen. v. Eccl. Hist. c. 18. Sic in omnibus fere oxymoris, ut in illo Sophocl. in Ajac. v. 675. ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα i. e. hostium dona non dona. Cum hac figura quodammodo apta et nexa est παρήχησις ἀπὸ τοῦ παρηχεῖν i. e. similiter sonare velut soni cohaerentia cum syllaba vocis una alterave similiter sonans repetitur, veluti in isto Plauti: perire me malis malim modis in Baechid Act. III: 3: 86. Hanc figuram non tam refugisse veteres Poëtae et Oratores quam expetiisse videntur, tanquam Virgilius non uno in loco velut: Dorica castra II. Aeneid. v. 27. neq. te teneo IV. Aeneid. v. 380. Servius autem ad illum locum a Rhetore Nostro dicitur aliquid observasse, ad II. Aen. v. 27. sed errat Ernestius: morem nodumq. repetendae unius ejusdemq. soni syllabae vituperavit. imo potius Cerda defendit Virgilium contra Servium ad illum locum Virg. laud. id tamen constat Ciceronem libenter hac παρηχήσει pariter atq. παρηχρένῳ et πολυπτώτῳ usum esse, veluti: vis vis illata depelli-

tur in

tur in Milon. c. 4. ita: membra fuo quaeq loco locata in Brut. c. 57. Eas-dem figuras similitudine quadam attingit παρονομασία Latinis agnominatio, quae habet parvam verbi immutationem in litera posita secund. Cicer. II. de Orat. c. 63. ea vero multis et variis rationibus conficitur, et quidem nox addendis literis, hoc pacto: civis bonarum artium, bonarum partium apud Cicer. pro Coelio c. 32. detrahendis literis veluti: non magis amore quam more ductus apud Nepot. in Cimon. c. 1. nox permutandis literis, veluti in hoc Graeco Antisthenis qui κρειττων inquiebat εἰς κόρακας ἢ εἰς καλακας ἐμπεσειν praestat in corvos quam in assentatores incidere apud Diog. Laërt. Libr. VI. de Vit. Philos. sect. 4. inceptio est amentium haud amantium apud Terent. in Andr. I: 3: 13 Neq pictam neq fictam imaginem suam passus est esse apud Cicer. V. ad Div. Ep. 12. et: video me a te non conveniri sed circumveniri apud Cicer. II. de Orat. c. 61.

§ 343. Ὁμοιοτέλευτα sunt, cum verba plura τὰ ὁμοιοτέλευτον est similiter desinens vel similiter concludens secund. Cicer. III. de Orat. c. 54. cui finitimum est ὁμοιόπτωτον ab ὅμοιος similis et πτωσις casus, Ciceroni; vox eodem pacto cadens in Orat. c. 25. veluti in hoc Ciceronis: vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia pro Cluent. c. 6. et in nobilissima illa Ciceronis pro Milon. c. 4. sententia: cum est igitur, inquit, non scripta sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti sed imbuti sumus. tum in illis Ennii anapaestis apud Cicer. I. Tusc. Quaest. c. 35. haec omnia vidi inflammari, Priamo vim &c. Quantumvis vero id certum sit studio et suavitatis causa tales ab oratoribus Scriptoribusque usurpari figuras: alterum tamen etiam non minus perspicuum est hujus ipsius genera quaedam vel casu vel negligentia iisdem excidere, velut in illo Ciceronis: omnino fortis animus et magnus &c. I. de Offic. c. 20. aliisq similibus, quae non statim figurae habebuntur simulatq in lectione veterum humanitatis studiosi animadverterint.

§ 344. Et in harum quidem &c. In hoc autem toto figurarum usu triplex imprimis tenenda est lex: primum cavere nos oportet, ne eas nimium aucupemur, quo est praeceptio utilissima Ciceronis II. de Orat. c. 63. nam per se frigida et inanis omnis est affectatio ut loquitur Quintil. IX. Instit. c. 3. deinde ne crebro his generibus utamur, etenim quae concinna sunt, cito satietate afficiunt aurium sensum fastidiosissimum secund. Magistr. Herenn. IV. Rhetor. c. 23. tandem ut ad consuetudinem Scriptorum omnia accommodemus, aliquem tollitur auctoritas dicendi et animis gratia paxit.

§ 345. Gravitati prosunt &c. Non opus hanc paragr. illustrare.

§ 346. Ellipsis Rhetorica &c. Ἔλλειψις ἀπὸ τῆς ἐλλείπειν praetermittere

mittere, velut detractis, ut a Quintiliano redditur Latine Lib. I c. 5. duplicis est generis, vel Grammatica vel Rhetorica. illa elegantiae orationis interdum prodest; haec ornatui, ostendit, quemadmodum vis et spiritus dictis afferatur, adeog ad πάθος h.e. affectionem animi exprimendam plurimum utilitatis habet, tanquam in hoc Ciceronis a Rhetore laudato: hunecine hominem? &c. V. Verr. c. 25. scilicet feremus? Huic opponitur πλεονασμος ἀπὸ τῦ πλεονάζειν redundare, abundans supra necessitatem oratis interprete Quintil. Lib. IX. Instit. c. 3. quae forma quantumvis vitiosa videri possit, tamen ubi affirmationis gratia adhibetur non mediocris esse virtutis solet, tanquam: his oculis egomet vidi apud Terent. in Adelph. III: 2: 31. vocemq his auribus hausi apud Virg. IV. Aen. v. 359. quot enim verba tot sunt affectus. Ἀσύνδετον ex ἀ privat. et συνδέω colligo a δέω ligo, cum demtis conjunctionibus dissolute plura dicuntur apud Cicer. in Orat. c. 39. velut in illo Ciceronis: haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium et solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur &c. pro Archia Poët. c. 7. nec non: ferte citi flammas, date vela, impellite remos apud Virg. IV. Aeneid. v. 593. ubi plena oratio est valde commoti animi. Contrarium ἀσυνδέτου schema est, quod conjunctionibus abundat, dicitur q πολυσύνδετον tanquam: Asia tam opima et fertilis, ut et ubertate agrorum et varietate fructuum et magnitudine pastionis et multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat apud Cicer. pro Leg. Manil. c. 6. Harum vero utraq figura opportune collocata non mediocrem in dicendo vim habet, propterea sublimi dicendi generi in primis congruere Oratorum et Poëtarum aliquot exemplis docuit Longinus περὶ τῦ ὑψῦς sect. 19 usq ad 21 a p. m. 84. edit. Hudson.

§ 347. Ἐπιφορὰν vocant, repetitionem &c Ἐπιφορὰ ἀπὸ τῦ ἐπιφέρειν inferre, cum impetu irruere, quasi impressio, Latinis conversio, cum idem verbum ad extremum saepius refertur secund. Cicer. in Orat. c. 39. quod schema non modo venustatem habet maximam, sed etiam imprimis gravitatem et acrimoniam orationi affert. Prioris utilitatis est illud Plauti in Trinum. Act. I: 2: 165. ubi scurrarum mores eleganter depingit: qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt. quod quisq in animo habet, aut habiturus est, sciunt. sciunt id, quod in aurem rex reginae dixerit. sciunt quod Juno fabulata est cum Jove: quae neq futura, neq facta sunt, tamen illi sciunt. Alterius exemplum est in illo Cicer. a Rhetore Nostro adducto: Doletis tres exercitus Populi Romani interfectos? &c &c II Philipp. c. 22. Huic schemati plane respondet συμπλοκη ἀπὸ τῦ συμπλεκειν complicare, connectere, cujus initia et fines inter se idem sunt, h.e. ubi utraq figura ἀναφορα et ἐπιφορα concurrit, qua profecto sine gravitatis summa causa viti ineptum et frigidum est, veluti: Qui sunt, qui foedera saepe

ruperunt?

ruperunt? Carthaginienses. qui sunt, qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginienses. qui sunt qui Italiam deformarunt? Carthaginienses. qui sunt qui sibi postulant ignosci? Carthaginienses. apud Magistr. Herenn. IV. Rhetor. c. 14.. Non minus auditorem commovet, majusve aliquod vulnus efficit, quasi aliquod telum saepius perveniat in eandem corporis partem, ejusdem redintegratio verbi; Graecis ἐπιζευξις ab ἐπιζεύγνυμι desuper innecto et jungo, Latinis Conduplicatio, hoc pacto: fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus. et mox: nos nos dico Consules aperte desumus apud Cicer. I. Catil. c. i. excitate, excitate eum si potestis ab inferis apud eundem Cicer. pro Milon. c. 33. Non est, non est vobis Quirites cum eo hoste certamen, quocum aliqua pacis conditio esse possit IV. Philipp. c. 5. Nunc, nunc insurgite remis Hectorei socii apud Virg. V. Aeneid. v. 189. Plerumq; acriora quoq; et instantiora fiunt, quod dicimus, gradatio, Graecis κλιμαξ velut scala cum gradatim sursum versus redditur definiente Cicerone in Orat. c. 39. ejus exempla ex Cicerone ex Ovidio attulit Rhetor Noster, velut: in urbe luxuries creatur &c pro Rosc. Amer. c. 27. quid enim per Deos immortales potest prodesse nostra legatio? prodesse dico? quid si etiam obfutura est? obfutura? quid si jam noceat. apud eundem XII. Philipp. c. 3. Mars videt hanc visamq; cupit &c. ap. Ovid. III. Fastor. v. 21.

§ 348. His omnibus latius &c Maxime orationis gravitatem adjuvat ἀναφορα ἀπὸ τῆς ἀναφερειν sursum ferre h.e. repetitio, cum ab eodem verbo ducitur saepius oratio, aut in idem conjicitur secund. Cicer. in Orat. c. 39. Illustre hujus figurae exemplum est apud Cicer. in Haruspic. Respons. c. 6. item in Virgiliano illo III. Aeneid. v. 490. Sic oculos sic ille manus sic ora ferebat. quod Schema uti est animi vehementer aestuantis; ita inepte usurpatur in doctrinarum genere, ubicunq enim aliquid definimus, interpretamur, rationem in universum concludimus; ibi oratio velut sedatus amnis, fluere debet, nullaq; opus est acri et vehementi animorum incitatione. verum non leviter exarserat Cicero cum praesentem in Senatu Catilinam his verbis increparet I. Catil. c. i. Nihilne te nocturnum praesidium palatii? nihil urbis vigiliae? nihil timor populi? nihil concursus bonorum omnium &c legatur hic in primis praestantissimus Rollinus in Methodo Docendi et Discendi Bonas Literas Tom. II. a p. m. 221. ffg.

§ 349. Ad copiam ex hoc genere &c Tertia figurarum causa dicitur amplificatio et copia, cui efficiendae uti sua natura prosunt omnis generis figurae imprimis πολυσύνδετον et κλιμαξ; ita nominatim conducere vulgo arbitrantur Synonymiam et ἐξεργασίαν, uti etiam ἐπιμονὴν i.e. permansionem ἀπὸ τῆς ἐπιμενειν insistere et commorari. verumtamen fontes potius sunt copiae, quam remotae a vulgari usu dicendi formae, de quibus opportunior erit locus dicendi infra ad paragr. 380. Sic in figuris sententiarum non pauca habentur, quae eo prorsus

prorſus nomine indignae potius argumentorum loci et ſedes orationiſq; ampli-
ficandae modi ſunt, quam ſchemata, velut digreſſio, et reliquae figurae, quarum
Rhetor meminit.

§ 350. Quae autem proprie &c Alterum figurarum genus eſt ſententiarum
vel mentis ſive Graecorum ſchemata διανοίας, in quibus utiliter tractandis ean-
dem viam perſecutus eſt Rhetor noſter, quam antea triverat: alias quippe figu-
ras ſuavitati alias gravitati orationis inſervire docens. In his quae ad ſua-
vitatem maxime valent, numerat Antitheta et Oxymora, videte de his Quintil.
Lib. IX c. 2. adjuvat, ait ibi Rhetor, quod auditor gaudet intelligere et favet inge-
nio ſuo et alio dicente ſe laudat.

§ 351. Et antitheta quidem ſunt &c Quae vero Graecis ἀντίθετα ἀπὸ τῆ
τίθησι, ea Latini contrapoſita vel contentiones vocant ſecund: Quintil. Lib. IX: 3.
Contentio autem eſt, cum multis modis contrariis relata ſunt contraria ſecundum
Cicer. in Orat. c. 39. aut cum contrariis opponuntur contraria eodem Cicer.
judice in Orat. c. 40. quae non uno modo fiunt. primum ſi ſingula ſingulis op-
ponuntur, ut in eo Ciceronis a Rhetore noſtro laudato: ex hac parte pugnat pu-
dor &c item: vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia apud
Cicer. pro Cluent. c. 6. tum bina binis opponuntur: neq me vero poenitet mor-
tales inimicitias ſempiternas amicitias habere apud Cicer. pro Rabir. Poſthum.
c. 12. et: Non noſtri ingenii, veſtri auxilii eſt ex Cicer. pro Cluent. c. 1.
tandem 3e loco ſententiae ſententiis opponuntur, veluti in hoc a Rhetore No-
ſtro laudato, quod extat apud Cicer. pro Muren. c. 36. eodem pacto: dominetur
in concionibus, jaceat in judiciis, valeat in opinionibus et ſermonibus imperito-
rum, ab ingeniis prudentium repudietur apud Cicer. pro Cluent. c. 2. Plura e-
juſmodi antithetorum exempla e Graecis et Latinis literis dedit Bernard. Mar-
tinius III. Vax. Lect. c. 10 et 12. quo jure meritoq; referri poteſt illud ſententia-
rum genus, quod fit e contrariis aut ſaltem diverſis, et ex contrariorum qui-
dem genere, quod cum enthymema tum argumentationem Graece ἀντιπαράσα-
σιν vel ἀντίφρασιν tanquam in illo Ciceronis: fit in dominatu ſervitus, in
ſervitute dominatus apud Cicer. pro Dejotar. c. 11. Sic vere dici poteſt: Magi-
ſtratum legem eſſe loquentem, legem autem mutum magiſtratum III. de Legib. c. 1.
ὄξύμωρον quaſi argute fatuum dixeris, natura vocis ipſius graecae aliquid ſto-
liditatis continente, quoniam ponere videtur, quod ſibi repugnat, at ſi expendatur
ſubtilius, acuminis ſecum laudem affert, ab ὀξὺς acutus et μωρὸς ſtultus quaſi
acutifatuus, talia ſunt: cum ratione inſanire apud Terenc. in Eun. I: 1: 18 in-
ſaniens ſapientia apud Horat. 2. Carm. Od. 34. v 2. Concordia diſcors apud e-
und. 1. Ep. Ep. 12 v 19. ſerenus inertia apud eund. 1. Ep. Ep. 11 v 28. (: otium ne-
gotioſum apud Rhetorem eſt fictum exemplum:) Sic: magna ſervitus, magna
fortuna

fortuna apud Senec. in Consolat. ad Polyb. c. 26. Alia id genus plus quam centena collegit exempla Conrad. Rittershusius in Comment. ad Oppian. Cyneg. Lib. I. v. 260.

§ 352. Iam in his esse magnam &c. Haec per se intelliguntur.

§ 353. Atq; hac de causa omnes &c. Quicunq; inter veteres sive oratores, sive Poëtae, sive rerum auctores, non semper ad veritatem causae vel forensem contentionem sed ad aurium voluptatem ingeniiq; et acuminis ostentandi gratia scripserunt hoc figurarum genus sententiis argutum, verbis sonans studiose consectati sunt, veluti quos Rhetor hic nominavit, inprimis tres novissimi apud Latinos. Neq; tamen ab his deliciis abfuerunt alii, qui in graviori dicendi genere versabantur, sed multo rarius usurparunt, certe occultius, ut recte annotatum est a Quintil. Libr. IX c. 3. Ad quam imitandi prudentiam cum non advorteret animum praestantissimus ceteroquin Orator apud Gallo-Francos Carolus Boreus logodaedalus evasit, etsi enim orationes ejus non mediocri laude (: edit. 1744 Parisiis:) et plausu exceptae fuerunt, tamen si dicendum, quod res est, plus quaesitae pulcritudinis quam incorruptae venustatis habent, liberiori quippe antithetorum, oxymororum, aliorumq; id genus acuminum usu, quam oris Latini gravitas patiebatur, tanquam puerili fuco et pigmento flaccescentes, vel sic tamen antitheta non delectationis solum gratiam afferunt, sed ad commotionem quoq; animorum praesertim in objurgando et reprehendendo, quod fit per comparationem, multum valet, vid. ὁῖο Hermogenes περι αἱρεσεων Lib. III: c. 9. quod multis exemplis Demosthenis et Ciceronis nunc approbari possit, nisi ipse jam Hermogenes Demosthenis exempla Libr. IV. de Invent. c. 2. et Ciceronis vir doctissimus Caspar. Laurentius (: optima editio:) ad Hermogenem p. 84. sqq. attulisset, ubi quoq; illustre exemplum Thucydidis, quod Rhetor Noster excitavit, itidem extat. Neq; mirum de Thucydide, erat enim rerum gestarum grandis pronuntiator, ut Cicero eum alicubi laudat acutus et ejusmodi sententiis creber fuit.

§ 354. Periphrasis alia copiae servit &c. Periphrasin, Latinis vel circuitionem vel circumlocutionem apud Quintil. Lib. VIII c. 6. recte sumit Rhetor Noster duplicem, alteram copiae, alteram ornatus conciliatricem. prior periphrasis quae inservit copiae, profecto non est hujus loci. altera vero est, cum per quandam suspicionem, quod non dicimus accipi volumus. ejus triplicem esse usum ostenderunt veteres; unum si dicere palam parum tutum est, quod Demetrius Phalereus de Elocut. p. m. 104. vocat σχημα ἀσφαλειας. alterum, si non decet, quod Demetrius l. l. vocat σχημα εὐπρεπιας. tertium addidit Quintilianus Lib. IX c. 2. qui venustatis modo gratia adhibetur. Quod ad prius attinet; praestantissimum exemplum est apud Livium Manlii, qui regnum affectabat, vocabulo tamen regis et regni uti nolebat, verum περιφρασει

utiri

utitur: Ego me, inquiens, patronum profiteor plebis: vos si quo insigni magis imperii honorisve nomine vestrum appellabitis ducem, eo utemini potentiore ad obtinenda ea, quae vultis. apud Liv. Libr. VI c. 18. Quod ad alterum genus attinet Romani in describendis rebus sordidis non propriis utebantur verbis aut vocabulis, sed descriptione utebantur, veluti: ire ad requisita naturae ex Sallust. apud Quintil. Libr. VIII c. 6. Naturae necessitati dare operam apud Cicer. l. de offic. c. 35. vel cum Cicero in Miloniana Orat. c. 10. dicere nollet Clodium a Milonis servis jugulatum esse. duram hanc rem περιφράσει emollivit: fecerunt inquiens, ut servi ut et cap. 21. haesit in iis poenis, quas ab eo servi fideles pro Domini vita experiverunt. Sic cum Vibius quidam Capuanis suaderet, ut hausto veneno effugerent defectionis poenam, bene sibi cavit a tristi et luctuoso hoc vocabulo, sed circuitione utitur apud Liv. Lib. XXVII: 13. Aliquot exemplis ex Lysia et Demosthene demonstravit Muretus VII. Var. Lect. c. 23.

§ 355. Ad gravitatem autem &c

§ 356. Praeteritio est, cum maxime, &c Praeteritio, Graece παραλειψις et Latinis alio nomine occupatio dicitur, tanquam Magistr. Herenn. IV. Rhetor. c. 27. cum dicimus nos praetexire, aut nescire, aut nolle dicere, id quod maxime dicimus. Quae exornatio utilis est secundum Hermogen. περι Μεθοδ. c. 7. triplici modo. 1um si res sunt ignobiles et levioris momenti. 2do si sunt planae et notae, quarum commemoratio taedium allatura esset. 3o si molestae sunt, adeog reprehendi facile non possunt, exempla passim egregia sunt, veluti II. de Offic. c. 19. et pro Cluent. c. 66. et apud eundem Cicer. locis a Rhetore laudatis. Communicatio est quasi cum iis ipsis, apud quos dicimus deliberatio secund. Cicer. III. de Orat. c. 53. si scilicet cum iis qui audiunt, nonnunquam etiam cum adversario quasi deliberamus ut loquitur Cicero in Orat. c. 40. Cujusmodi communicationis egregia passim apud Ciceronem reperiuntur exempla, veluti: quaero abs te Caji Aquilli — dici vix potest &c. in Orat. pro Quintio c. 17. Item: tu denig Labiene quid faceres tali in re ac tempore? &c. pro Rabir. perduell. reo c. 8. Occupatio diversa a praeteritione in se continet aut praemunitionem, aut confessionem, aut praedictionem, locum habet tum cum interrogamus adversarios, aut quaerimus ipsi quid ab illis aut quid contra nos dici possit: deinde subjicimus id quod dici oportet, vel non oportet. quorum prius ὑποφορὰ, alterum ἀνθυποφορὰ Rhetores vocant. Utriusq hujus occupationis exempla dabit Cicero pro Quintio c. 22. a verbis: de re pecuniaria cupio contendere &c et pro Rosc. Amer. in principio: Credo ego vos judices mirari &c Dubitatio est, cum simulamus quaerere nos unde incipiendum, ubi desinendum, quid potissimum de pluribus, aut quomodo dicendum sit. quod exornationis genus haud mediocrem sive in docendo

docendo sive in movendo vim habet. primum in docendo, si argumentorum multitudo adsit. In movendo, si aut laudabiliter aut prave factorum copia jusserit. Cujusmodi exemplis plena sunt omnia Ciceronis, tanquam praeter inficeata Ciceronis a Rhetore loca in Orat. pro Rosc. Amer. c. 11 et pro Cluent. c. 1. Concessio est cum aliquid etiam iniquum videmur causae fiducia pati, ut graviora vicissim nobis dentur secund. Quintil. Lib. IX. Inst. Orat. c. 2. Quae figura audientes admodum dociles et attentos reddit, veluti in pulcherrimo illo Ciceronis loco, ubi Fraetorum testimonium in causa quadam publica reprobaverat, metuens tamen ne hoc ipsi vitio vertatur, quod Praetor testes esse nolebat, hac concessione utitur: tribuo, inquiens Fraecis literas, do multarum artium disciplinam, non dimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denig etiam si qua sibi alia sumunt non repugno: testimoniorum religionem et fidem nunquam ista natio coluit pro Flacco c. 4.

§ 357. Sed et in hoc &c Neg in docendo solum, sed quam maxime in commovendis audientium animis vim utilitatemg habet Interrogatio. primum enim multum valet ad probandum, quia non est verisimile interrogaturum esse Oratorem, nisi putaret allaturum se, quod negari non possit, tanquam: quomodo? qui fieri potest? dixitne tandem causam? apud Cicer. pro Cluent. c. 37. deinde plena est varietatis, nam et indignationi convenit, veluti: et quisquam numen Junonis adoret? apud Virg. I. Aeneid. v. 48. et admirationi, veluti: quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? apud eundem Virg. III. Aeneid. v. 56. Interdum acrior et vehementior fit probatio quoties urgendi causa interrogationem assumimus, veluti: quousq tandem abutere Catilina patientia nostra? et: patere tua consilia non sentis? et toties ille locus I. Catil. c. 1. nam tanto magis ardet, quam si dixisset: diu abuteris patientia nostra, et: patent tua consilia: conjurationem tuam omnes norunt. Sic etiam aliud exemplum egregium extat pro Ligar. c. 3. Praesertim si accedat, quod ejusdem fontis est ἀποσοφη h. e. aversus vel a proposita quaestione vel ab audientibus sermo, mireq movet, sive adversarios invadimus, tanquam in illa Cicer. Ligariana c. 3. sive rem ipsum coram judicibus alloquimur, uti Cicero fecit pro Plancio c. 42. sive ad invidiosam imploratione convertimus tanquam. S. Verrin. c. 62. O nomen dulce libertatis &c sive ad invocationem aliquam, vel rei inanimae veluti in Milon. Ciceron. c. 31 Vos enim jam ego Albani tumuli &c aut Deorum, interposita obtestatione, tanquam eodem in loco, in verbis: tuq ex tuo edito monte &c. item apud Demosth. pro Corona c. 60.

§ 358 Augendo

§ 358. Augendo exaggerandoq &c Maxime ad amplificandum pariter atq commovendum valet Correctio, Graecis ἐπανόρθωσις ex ἐπανορθόω corrigo, quasi poenitentia dicti, cum corrigimus nosmet ipsos quasi reprehendentes, ut loquitur Cicero in Orat. c. 39. exemplum est in illo Cicer. O clementiam &c. v. Verrin. c. 29. tum: Quam illi judices, si judices, et non parricidae patriae nominandi sunt, graviorem potuerunt rei publicae infligere ferè pro Plancio c. 29. Item: quas illae leges, si leges nominandae sunt, ac non faces urbis et pestes rei publicae pro Milon. c. 12. sic: C. Caesar patrimonium suum effudit, quanquam non sumus usi eo verbo quo decuit, non enim effudit, in salute rei publicae collocavit III. Philipp. c. 2. Actuosa fit oratio hujusmodi figurae genere, quod in augendis et amplificandis rebus versatur et a Graecis ἀύξησις ἀπὸ τῆς ἀύξανειν, a Latinis incrementum est nominatum teste Cicer. in Orat. c. 36. cum oratio circa singulos gradus moratur et semper aliquid priore majus insequitur, tandem in sublime crescit et ad summum pervenit, talia sunt: miserum est exturbari fortunis omnibus apud Cicer. pro Quinctio c. 31. vivit? immo etiam in Senatum venit &c. 1. Catilin. c. 1. In primis de turpi vomitu Antonii: tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria firmitate &c. 2. Philip. c. 25. ibi enim singula incrementum habent, per se deforme in coena vomere in coetu etiam non populi populi etiam non Romani, vel si nullum negotium ageret, vel si non publicum vel si non Magister Equitum. Legatur et Quintil. VIII: 4 et IX c. 4. par. 23.

§ 359. Est etiam gravis ad &c Permagni quoq sive ad gravitatem sive ad suavitatem Orationis momenti est illa rerum credibilis imago, quae velut in rem praesentem perducere audientes videtur, adeoq rem sic exprimit verbis ut cerni potius videatur quam audiri. quae si accuratior et dilucidior est διατύπωσις quasi exemplar informatio a διατυπόω informo. sin vero brevior simplicior et verecundior ὑποτύπωσις ab ὑπὸ et τυπόω effingo nominatur. Atq hujus figurae vim mirabiliter assecuti sunt praestantissimi Graeciae et Latii Oratores Demosthenes et Cicero, tanquam Demosthenes l. l. Sic an quisquam tam procul a concipiendis imaginibus rerum abest, ut cum illa Ciceronis in Verrem legit v. Verrin. c. 35. stetit spoliatus Praetor populi Romani cum pallio &c non solum ipsum os intueri videatur et locum et habitum Verris. Eodem modo mire tractat hanc figuram Cicero v. Verrin. c. 62. Nec non Plinius in Paneg. l. a Rhetor. laud. cum describeret adventum Trajani in urbem mirang omnis generis et aetatis hominum concursationem. Non minorem efficaciam et venustatem cum in oratione varianda, tum in excitandis audientium animis habent, Sermocinatio et Prosopopoeia. Sermocinatio est sermo hominum assimulatus, quem nonnulli veterum Dialogov dicere maluerunt teste Quintil. Lib. IX c. 2. constituitur enim alicujus

alicujus hominis oratio ad personam ejus accommodata. Prosopopoeia vero Latinis est conformatio sic, muta interdum loquuntur, mortui ab inferis excitantur quemadmodum docet Cicero in Orat. c. 25. Sermocinationis exemplum egregium est apud Cicer. pro Coelio c. 15. cum putato tecum loqui &c. et pro Milone l. a Rhet. laud. c. 34. Prosopopoeiae vero apud Cicer. l. Catil. c. 7. et pro Plancio c. 5. Venio nunc ad ipsius populi partes &c Sermocinationi finitima est imitatio morum alienorum, quae ἠθοποιία aliis nonnullis μίμησις appellatur, quae morum et vitae imitatio magnum quoddam est ornamentum orationis aptumq ad animos conciliandos et commovendos ipso Cicer. judice III. de Orat. c. 53. quo in genere eminent sublimi et Oratores et Poëtae veluti Terentius in Fabulis suis, praesertim in Eunucho ubi Thrasonis sive parasiti et militis gloriosi sermones et ingenium pulchre expressit. tales etiam sunt pulcherrimae Ovid. Epist. Heroid. quae meae sunt et dici possunt ἠθοποιία.

§ 360. Exclamatio quid sit. &c Exclamatio Graece ἐκφώνησις fit post gravissimam sceaonen vel doloris, vel admirationis, vel conquestionis, vel indignationis secundum Cicer. in Orat. c. 39. veluti apud Terent. in Adelph. Hei mihi quid faciam! quid agam? &c Act. V. Scen. 3. et 4. eodem pacto: o foeditatem hominis flagitiosam! o impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam! 2 Philipp. c. 6. et: o praeclarum custodem ovium, ut ajunt, lupum! custosne urbis an direptor et vexator esset Antonius? 3 Philipp. c. 11. Qua exclamatione si loco utemur et raro, simul cum rei magnitudo postulare videbitur; facillime audientium animos, ad quam volemus animi commotionem adducemus. vehementer autem peccant, qui in rebus tenuibus disserentes, probantes, docentes aliquid puerilibus et jejunis exclamationibus uti solent. haec enim est gravissima figura et animi vehementis index. Sic natura sua quoq multum prodest ἐπιφώνημα h. e. addita in clausula non tam probatio quam extrema veluti insultatio. est enim ἐπιφώνημα rei expositae et approbatae summa acclamatio, veluti in hoc Lucretii * rogatione quam exclamatione expressit Silius Italicus IV. Bell. Pun. v. 794. Heu prime sceleratum &c. eodem pacto: Tantae molis erat &c 1. Aeneid. v. 33. Hac quoq figura abutuntur illi, qui eloquentiae causas corrumpunt, semperq bonos ut sibi vera abutuntur illi, qui eloquentiae causas corrumpunt, semperq bonos ut sibi virum dentur sententiolas multasq clausulas adhibent, quos jam notavit Quintil. Lib. VIII c. 5. Tandem in figuris sententiae ad orationis gravitatem profuturis nominari debet ἀποσιώπησις, Latinis reticentia vel abscisio veluti Cicer. III. de Orat. c. 53. quae est cujusdam suppicionis et plus ad intelligendum quam dixeris scaenis. ea vero si oriatur a vehementi perturbatione animi seu ira, tanquam in illo Virgilii: Quos ego: sed motos &c 1. Aeneid. v. 135. vel: Ego te furcifer, si vivo apud Terent. (scilicet ulciscar in Eunuch. Act. V. Scen. 6. v. 19, 20. Seu amore, tanquam: si perficitis quod agitis me ad vos venire oportet, sin autem: sed nihil est opus reliqua scribere apud Cicer.

xiv. ad Divers. Epist. 3.

§ 361. Ceterum essi usum &c Non opus interpretatione.

CAPUT IV.

De Ornatu e Compositione, Structura et Numero.

§ 362. De materia ornatus &c Dictum antea fuerat in ornatu duo esse spectanda materiam et formam. Materia inest in tropis et figuris. forma vero in ipsa verborum collocatione, junctura et numero. de cujus natura et usu optimus Liber est Jac. Lud. Strebaei (s. insignis Rhetor seculi XVI:) de Electione et Collocatione Oratoria Verborum Colon. 1582. edita in 8vo Vinetae orationi adversatur soluta, incomposita, diffluens et ineptè cadens oratio. In omni compositione tria esse necessaria Rhetor noster recte monuit paragr. 32. supra, ordinem, juncturam et numerum. Totius hujus generis observatio in verbis est singulis et contextis. ac de singulis verbis quemvis contexi et vinciri debeant, docet ommino Cicer. III. de Orat. c. 43. Id assequimur si verba extrema cum consequentibus primis ita jungemus, ut ne aspere concurrant, neu vastius diducantur. simulatq autem vocalium concursus accidit hiat et quasi laborat oratio. praecipuus earum vocum hiatus est, cum cavo aut patulo maxime efferuntur ore vid. ibi Quintil. Lib. IX c. 4. porro Consonantes si cum quibusdam vocalibus copulantur, offendunt aures, veluti si ac antegrediatur vocalem, veluti ac ego. in eo enim consentiunt Grammatici et lectio Ciceronis aliorumq optimae Latinitatis auctorum docet huic particulae subjungi oportere verbum cujus initium consonans. exempla vid. in Lexico Nizoliano Cicer. voce ac. Sed eo in genere adeo obtusae sunt hodie aures nostrae ut vitium in pronunciando ne sentiamus quidem tum consonantes quae sunt asperiores in commissura verborum veluti rixantur, tanquam si literam s et x concurrere jubeas vasti quid soni effers, tanquam: exercitus Xerxis, ars Xenocratis et similia. Eodem pacto si literae binae s collidantur fit ingratissimus stridor, uti ars studiorum vid. Quintil. Lib. IX c. 4. Sed haec subtiliora sunt, quam ut a vulgo capi possint, nam ne capientur quidem illis, quae sine deformitate obscenitatis efferri a Latinis non poterant. nam si quis dixisset olim: cum notis hominibus, unusquisq visisset secundum Quintil. Lib. VIII c. 3. Si Latini in vitam redirent, viderent frontem splendidissimarum editionum, tanquam Sallustii Havercampi, Valerii Flacci, Quintiliani, Suetonii Burmanni cum notis integris, vel unice cum notis num laturi essent hanc literarum commissionem quae turpitudinem κακοφάτες habet. Ea est ratio cur veteres Latini non dixerint, cum nobis, sed nobiscum. Legatur rursus laudatissimus ille Strebaeus de Elect. et Collocat. Verbor. Lib. II c. 4.

§ 363. Laevis contra et suavis &c Leniter autem fluere oratio et laevis esse dicitur, cum vocales cum consonantibus et consonae vicissim cum vocalibus ita coeunt, ut sine hiatu aliove ullo agrestiori sono efferri possint. Cujus generis studiosissimos fuisse Isocratem, poëtarumq Graecorum nonnullos Dionys. Halicar. περὶ Συνθέσεως ὀνομάτων p. 26 et 27. oper. Rhetor. illius Oratoris exemplis et Sapphus versiculis approbavit. De Latinis exemplum praesto est ex Ciceronе pro Roscio Amer. c. 24. haec sunt impiis assiduae &c in quibus verbis non nisi quater consonae concurrunt literae. Ceterum eo ipso in genere illa cautio est, ne nimis ea res studiose fiat, sed concursus consonarum vocalium admittantur, hoc enim vel maxime desiderat diligentiam ut fiat quasi structura quaedam nec tamen fiat operose

ut

ut loquitur Cicero in Orat. c. 44.

§ 364. Illud quoq; non alienum &c. Ad compositionem commodam primum Quintil. Lib. IX c. 4. ordinem retulit. Quanquam enim ordo verborum in sermone Latino est liberior, quam in vernaculis Europae: tamen certis legibus et usu regitur. Sic naturalis ordo postulat ut mares et feminas, diem et noctem; ortum et occasum dicas potius quam retrorsum. deinde quod dignius altero est, vel latius patet, id subsequi debet. ideoq; cum Livius, Politorium, urbem Latinorum, vi cepit et in ore Tiberis Hostia urbs condita Lib. I. c. 33. agmine profectus ad Trebiam fluvium Lib. XXI: 48. ad Tagum amnem ire pergit Lib. XXXV: 22. Non, urbem Politorium, non urbs Hostia, non fluvium Trebiam, nec amnem Tagum dixerit; nobis quoq; non licuerit priore loco ponere, veluti, urbs vetus Trajectus, aut flumen Rhenus, sed vetus Trajectus urbs, et Rhenus amnis. utrum vero fratres gemini an gemini fratres ponere liceat Quintilianus aliquo parte dubitat Lib. IX. 4. Sunt quidem apud Cicer. pro Cluent. c. 16. fratres gemini, sed extant quoq; apud eundem II. de Divinat. c. 43. gemini fratres, item apud Liv. Lib. I. c. 24. trigemini fratres, cur non aeq; fratres gemini et germani atq; germani et gemini fratres dici possint rationem non video. Interdum etiam quam sententiam obscurari circumjacentibus verbis nolunt eam in principio statim positam assignant et infigunt quasi audienti legentiq; quale illud est Ciceronis: gravi teste privatus sum II. ad Div. Epist. 2.

§ 365. Verum in verbis &c. Sed in ipsa quoq; literarum et vocabulorum junctura non exigua quoq; soni ratio haberi debet, non modo hactenus ut verba seligamus in quibus plenum quiddam et sonans esse videtur, ut loquitur Cicero in Orat. c. 49. sed etiam ut ejusmodi consonis vocalibusq; literis utamur, quae rerum naturam argutissime exprimant. aliae enim vocales sunt acutae, aliae graves, aliae grandes, aliae exiles, aliae sonorae aliae molles et teneae. ita etiam consonis nox asperitatis, mox jucunditatis, mox hilaritatis, mox tristitiae et moroſitatis quicquam inest, quo magis Orator futurus ad studium persequendae dignitatis in vocibus ipsi naturae aurium judicio et consuetudini obsequi debet. Qualem vero singulares literae sonum habere videantur nemo melius et operosius nos docuit quam magnus S. Joannides Vossius IV. Instit. Orat. c. 2.

§ 366. Membrorum structura &c. Verba singula inter se apta et nexa efficiunt primum quae Graecis dicuntur κόμματα ἀπὸ τῦ κοπτειν i.e. scindere et secare. Latinis incisa: tum κωλα, quae Graecis proprie sunt intestina crassa quasi κοιλα cava, Latinis membra vid. Cicero in Orat. c. 44. Ex structura ejusmodi membrorum vel colorum, quae Dionys. Halicar. p. 7. Oper. Rhet. Κώλων ἁρμογὴ dicitur, oritur περιοδος nomine a περι Graecorum et ὁδος sumto, quasi circuitio, quae Latinis nox comprehensio velut Cicer. in Druso c. 44. nox circuitus conglutinatioq; verborum eiden Cicer. in Orat. c. 23. nox ambitus et circuitus apud eundem in Orat. c. 61. De qua periodorum natu-

ra

tura et indole accurate et subtiliter praecepit Rhetor Noster. Etsi enim multi ante eum de periodis disseruerunt, quotquot Libellos de stilo ut vocant Latino confarcinarunt Schefferus, Heineccius, Funccius, Langius tamen cum illi aut non satis clare rem arduam explicarent, aut periodorum vim et naturam haudquaquam assequerentur: recte atq; ordine fecit, Rhetor Noster, cum totum hoc artificium, viam quidem monstrante Jo. Matth. Gesnero (: quem nobilem dissimulasset :) in Primis Lineis Art. Orat. p. 19 majori lucе illustraret. In universum hoc monendum est, non audiendos esse illos Rhetorices magistros, qui interdum eloquentiae tironibus persuadent hunc circuitum in jejuna quadam et bruta verborum exaggeratione, dilatatione et ambitu situm esse, sed longe aliis est hujus doctrinae fons.

§ 367. Universe igitur &c. Non opus est hic omnes periodi definitiones a veteribus traditas recensere. una mihi Ciceronis perplacet in Orat. c. 61. secundum quem hujusmodi circumscriptione tanquam in orbe inclusa currit oratio, quod insistat in singulis perfectis absolutisq; sententiis. Utitur Cicero translato orbis vocabulo cujus proclivi imagine omnium optime periodi forma adumbrari potest. uti enim circulus non potest dici circulus nisi aequabiliter circumductis lineae arcubus et ab omni parte clausis: ita periodus ne cogitari quidem potest, nisi adsit sententia per varia temporum, rei et personae hominum adjuncta tandiu pendens, quod perveniet ad finem insistatq; et concludatur. quod cum paucis verbis fieri non possit, facilis sane ad judicandum ratio subest, cur verborum quidam ambitus necessario accedere debeat. sed periodi tamen natura proprie non est in illa verborum multitudine, sed in apta rationis et sententiae conclusione, ut omnia, quae circumstant propositionem uni reddantur sententiae. quod clarius apparebit ex ipsis periodorum generibus earumq; structura. Recte enim veteres diviserunt periodum in ἁπλῆν i.e. simplicem et πολυκωλον h.e. compositam argum. Quintil. Lib. IX c. 4. In unaquaq; igitur periodo una vel plures regnant sententiae, quarum integritas non prius cernitur quam verborum clausula accesserit. ita simplex erit periodus, in qua una dominatur princeps sententia, sed eo modo, ut hujus ipsius simul omnis ratio intercentu secundariarum enunciationum intelligatur, quae secundariae propositiones ab adjunctis rei vel personae hominis, a causis conditionis similibusq; temporibus, quae Graeci περιστάσεις vocant, peti solent. Id planum fiet exemplis, primum dissolutis, tum vinctis. Si quis n. c. hoc pacto scripserit: incredibilis est expectatio, si hoc statueris in iis artibus esse laborandum, quibus eae laudes comparantur, quarum gloriam adamaveris quam expectationem hac una re facillime vinces. Nihil quidem nec in singulis verbis, nec in membris esset, quod Grammatici reprehendes. vel sic tamen

ipsa

ipsa comprehensio a vero Latinitatis sensu et rerum ordine discedit longissime. primum enim esse debet, gloriam adamare, ideoq primo debuerat loco poni, cui a- mori proxima est artium illarum cogitatio, quibus ad laudem pervenias, tandem his artibus repertis danda est opera ut in iis labores. quare si quis Latine inscribe- do, non datave aut secundum alium sermonem vernaculum cogitaverit, alio modo eog membrorum ordine scribet quali Cicero scripsit 11. ad Divers. Epist. 4. eodem pa- cto: Est tibi gravis adversaria constituta &c. Ex vernaculi sermonis rationibus recte dicetur: Tutores non videbant, quemadmodum in rationem inducerent pecu- niam, et sine periculo suo dare possent, si eam praetori, nomine pupillae deposcent, praesertim grandem. Sed quicung Latinitatis sensum habent, meram hic Batavi vel alius per Europam populi oris formam animadvertent. Subjecto enim, tutores statim subjungitur attributum, non videbant, omnes rationes cur videre se posse negarent, quae antegredi illam videndi sive intelligendi infitiacionem debebant, e- andem perturbato naturae rerum ordine sequuntur. quomodo igitur eadem ver- ba Latine ponentur? ita videlicet ut a subjecto tutores ad attributum non vi- debant transitus fiat per circuitionem temporum et quidem primariae conditio- nis; si pupillae nomine praetori pecuniam praesertim grandem darent, tum secun- dariae illius; quemadmodum sine periculo dare possent. ideoq haec omnia sic planissime ordinavit Cicero 2 Verrin c. 41. Inde apparet ordine sententiarum paullum commutato, quantumvis eadem verba retineantur; tamen ad nihilum re- cidere cum fuerint ex aptis inepta facta. atq hujus generis exemplorum ple- nas est Cicero, plenus quoq Caesar. abundant quoq similibus alii Scriptores, quos qui attente legerit et contenderit Ciceronem cum Xenophonteis non poterit non accuratius de universa periodorum ratione judicare, Latineq cogitare et scri- bere. Unum adhuc Rhetor Hafter addidit exemplum e Cicer. XIII. ad Div. Ep. 56. sumtum, cujus vim illorum praeceptorum conformatione utiliter demonstravit.

§ 366. Fundamenta autem hujus &c Primaria vero hujus quasi exaedifica- tionis apteq colligendae et vinciendae orationis fundamenta sunt haec, ut enunci- ationes ponas ordine naturali h. e. primum ut quae natura, tempore, cogitatione priora sunt, iis etiam primas assignes et concedas partes, quam seriem ipsae mode- rantur particulae conjunctionis cum, quoniam, si, etsi, tametsi et similes. Conditio enim anteit quod est sub conditione, et ratio anteit quod est propter rationem 2do loco quae natura juncta et copulata sunt, veluti quae sunt ex antecedentibus et consequentibus, e causis et effectis, ea quantum fieri potest una comprehensione verborum eodemq ordine quo aliud ex alio gigni solet coërceantur. 3o loco quae- cumq orationis membra a relativis pronominibus, qui, quicumq incipiunt, vel aliis vocabulis relativis, quantus, qualis, quoties, quemadmodum, quibus necessario oratio suspenditur ea sunt necessario quoq praemittenda, unde aptior transitus erit ad id quocum res conferetur. Lucullentum ejus rei exemplum extat apud Cicer. II. de Nat. Deor. c. 37. sed longior est locus ex Aristotele desumtus, qui hue trans- scribi posset; praeclare Aristoteles inquit Cicero, si essent qui sub terra ha- bitassent &c eodemq modo in aliis sexcentis locis Ciceronis, qui unicuiq lex et norma dicendi esse debet. Faciamus igitur periculum; disponamus se-

cundum

cundum has leges orationem:

1um hoc modo: Oro, ne vox illa vulgaris, audivi innocenti noceat, praesertim si quid sine capite manabit, aut si quid erit ejusmodi ut non extet auctor qui audierit.

2do loco: Non dubitavi hac de re te certiorem facere, cum familiares mei magni sua interesse arbitrarentur no per literas tibi declarare qua erga ipsos esset voluntate. quanquam tibi eosdem praesens diligentissime commendavi, et cum commendarem, intellexi te tuâ sponte cupere illis commodare quibuscunq rebus posses.

3um Vehementer a te peto, ut tantum concedas orationi meae quantum justae animi commotioni concedendum putes. si tecum acrius egerim atq liberius quam meum antea solebat ingenium.

§ 369. Composita periodus &c Composita periodus, sive ut Graecis vocatur πολυκωλος duobus, interdum tribus, quatuorve membris pro conditione antecedentium et consequentium absolvitur. rectissime Cicero in Orat. c. 66. constat, inquit ille ambitus et plena comprehensio e quatuor ferme partibus, quae membra dicimus ut aures impleat. si duobus δικωλος, si tribus τρικωλος; si quatuor τετρακωλος nominari solet. in quo genere priores sententiae, quia veluti suspensae sunt προτασεων ἀπὸ τῆς προτεινειν. alterae quia concluditur ἀποδοσεων nomine veniunt. Interdum protasis duorum membrorum, apodosis unius esse potest, et vicissim protasis unius, apodosis duorum membrorum esse potest. Quodsi vero utring membra sunt paria, periodus appellatur Graecis ἰσοκωλος; Latinis Compar exemplo Mag. Herenn. IV. Rhetor. c. 20. Unum specimimis loco Rhetor Noster exemplum apposuit ex Cicer. III. ad Divers. Epist. 8. sed recte distolvit ut tanto clarius vitiendae orationis artificium intelligatur. Eodem pacto rursus dissipabo orationem, ut orbe suo rursus concludatur.

§ 370. Atq ad hanc formam &c: Illum fructum ex Libro tuo vel maximum cepi, quod cognovi te res humanas praeclare contemnentem et optime contra fortunam paratum armatumq: quanquam consolatio tua mihi gratissima est, benivolentiam enim summam pari prudentia conjunctam declarat.

Alterum exemplum. In hac patrocinii ratione famae et fortunarum illius hominis defensio et officii mei necessitas proponenda est, ad quam me amicitiae vetustas et humanitatis officium adhortatum est, etsi non semper opus est coram omnibus rationem reddere, qua de causa quis quemq defendat.

Tertium exemplum. Existimavi nostrae necessitudinis esse non tacere tanto in tuo moerore tandiu cum longius a summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quam tuus, sed adhibere aliquem modicam consolationem, quae te aliquantum recreare posset, si minus dolorem sanare potuisset, quantumvis ego unus ex omnibus minime sum ad hoc officium accommodatus, quoniam ex tuis casibus tantum doloris cepi ut consolatione ipse egerem.

§ 371. Ceterum hoc artificium &c Et de inventione quidem ejus verborum compositionis, quanquam nullius veteris Scriptoris auctoritate interposita, quo tempore et a quibus ea inventa sit ratio definiri potest: tamen non incredibili

credibili ut mihi videtur conjectura Thrasymachum, Gorgiam aliosq; Sophistas ejus auctores esse opinatur non modo Rhetor Noster sed diu ante eum in Theatr. Rhetor. Lib. III c. 25. Alter est quia in Libris ante id tempus scriptis tanquam Herodoti, Thucydidis et aliorum nihil ita vinctum reperitur et si quid numerosi istis hominibus, numero nondum invento excidit, illud potius fortuitum quam consilio positum putatur. de Thucydide saltem ipse Cicero auctor est in Orat. c. 71. ornamenta in ipso comparere, orbem orationis se desiderare, tametsi Quintiliano Lib. IX c. 4. id difficulter persuaserit. Nostris quidem hominibus clariores videntur qui Batavo, Francico aut alius vernaculi sermonis sensu h. e. caesim et membratim dicunt, eosq; se melius intelligere jactant, qui omnia solute dicunt, quam qui vincte et apte. Sane inter Philosophos Stoicis sunt similes qui orationem tam crebris interpunctionibus concidunt, ut sibi in arenarias delati esse videantur, qua de re aliquid dixi in Epistola ad Burmannum p. 29.

§ 372. Usus periodorum latissime &c. Neq; tamen existimandum est in justis Orationibus duntaxat periodos locum habere, sed in omni alio scribendi genere, in epistolis, rerum gestarum commentariis, Libris philosophicis earum usus late patet. cujus rei tot extant apud Ciceronem, Caesarem, Livium exempla ut in dubium vocari quod dixi nullo modo possit. legatur hic omnino Quintilian. Lib. IX c. 4. et Rhetor Noster in singulari quadam Prolusione de Oratione Latin. apte vincienda Lipsiae edita 1738 quam miror Opusculis suis Oratoriis non inseruisse, unde tamen hoc loco omnia repetiit. Praestare igitur debemus, ut sensum apte concludamus, sit tamen oratio aperta ut intelligi possit non immodica ut memoria contineri. Plena autem comprehensio a Ciceron. in Orat. c. 66. aut quatuor membris aut ipsius spiritus modo terminatur secund. Quintil. Lib. IX c. 4. Longiores vero periodi Graecis vel πνευματα vel ταϭεις dicuntur. πνευματα cum tamdiu sententiam suspendimus et concludimus quamdiu anima et latera patiuntur. ταϭεις quasi intentiones cum ulterius protendimus orationem, quam spiritus ferre possit, vel cui periodo enunciandae Gigantis cujusdam pulmones non suffecerint vid. oio Hermogenes IV. de Invent. c. 4. et 5. et si videtur Epistola mea ad Burmannum p. 29.

§ 373. Itaq; etiam sine periodis &c. Ubiq; autem vincire velle orationem etiam ubi nihil est magnopere quod vincias, id vero fastidiosum elegantibus auribus est. rei interdum natura postulat, ut etiam sine periodis scribamus et dicamus, idq; fit vel per commata i. e. incisa, vel per cola i. e. membra vid. Cicer. in Orat. c. 62. hinc incisim, vel incise vel caesim et membratim tractata oratio apud Cicer. in Orat. c. 67. Utriusq; vero fines ita describere solent veteres, tanquam Hermogenes IV. de Invent. c. 4. ut differre inter se syllabarum numero existiment. quaecunq; enim oratio intra septem vel octo circiter syllabas comprehenditur, eam incisum, ad septemdecim vero syllabas procurrentem κωλον h. e. membrum

vocant

vocant. Incisi et membri exempla e Graecis dabit dem Hermogenes loco modo ante laudato. Incise dictum a se laudat ipse Cicero loco antea laudato in Orat. c. 67. et repetit Quintil. Lib. IX c. 4. talia sunt plerumq. Stoicorum placita, velut de dolore, si gravis, brevis, si longus, levis apud Cicer. II. de Fin. & et M. c. 7. Soli sapientes sunt etiamsi distortissimi admodum formosi, si mendicissimi, divites, si servitutem serviant reges apud eund. pro Murena c. 29. Membra volunt esse haec, tanquam: nonae sunt hodie Sextiles, hora nova convenire & ut apud Cicer. in Act. Verrin. c. 10. Tametsi vero incise et membratim dicere interdum rei natura jubet, maxime his locis cum aut disceptes aut refellas aliquid secund. Cicer. in orat. c. 67. quodsi frequentius incisis et membris sine ratione utaris oratio dissoluta, dissipata, inculta redditur, qualia adjuncta occurrunt apud Cicer. in Orat. c. 65. - vel sic tamen sunt nonnulli hodie, qui orationem suam incisis et membris luxatam cum relativis qui, quem, quibus utcunq. nectunt, in periodis numerari posse opinentur.

§ 374. Numerus, Graece ῥυθμος & Numerum cum dicimus, non intelligimus ad pedes sollicite dimensam rationem, Graecis μέτρον h. e. mensuram, sed collocationem, conformationemq. verborum quae Graece ῥυθμὸς dicitur, quasi concinnitas modulus vid. Cicer. in Orat. c. 20 et 51. Versus autem in oratione si efficiatur conjunctione verborum vitium est secund. Cicer. III. De Orat. c. 44. quanquam ejusmodi subinde versus optimis Scriptoribus non tam consilio quam casu et grata quadam negligentia excidere, ut annotavit Fabricius in Bibl. Lat. Lib. II c. 21. multo minus integros poëtarum versus ad Oratoris velut Scenam assumere licet. unde apparet quid judicandum sit de his, qui aliquot centenos versus et integra carmina pro concione recitent. putant enim se eo modo ultra vulgus sapere, et tamen ineptiunt. Cicero quidem in Orationibus suis semel iterumq. usus est versibus ex Ennio petitis, sed raro tamen et parce, vel ita vulgo notis, ut satis esset addi; nostris cetera, exemplo Orat. pro Plancio c. 24. Verumtamen idem Cicero qui versum in oratione vetabat esse in Orat. c. 51. is numerum jubebat. Numerus autem est certus quidam cursus, dimensio et conclusio verborum animos hominum auresque pellens ut intelligi possit id quod casus effudit cecidisse juvunde secundum Cicer. in Orat. c. 53.. In cujus concinnitatis consectatione fuisse principes Gorgiam et Thrasymachum, neminem vero scientius versatum esse Isocrate confitetur idem Cicero in Orat. a c. 49 sqq. Neq; vero hic tam acrem curam diligentiamq. desiderat, quam est illa poëtarum, quos necessitas cogit et ipsi numeri et modi sic verba versu includere ut nihil sit no spri

sit ne spiritu quidem minimo brevius aut longius quam necesse est. Imo liberior est oratio et plane ut dicitur in qua numerus interdum occurrit, se offert. finitur enim aut compositione ipsa h. e. orbe et circuitu verborum, ideoq; sua sponte ut nihil factum de industria esse videatur legite Cicer. in Orat. c. 65. Sic quae Graeci antitheta nominant sua necessitate numerum oratorium efficiunt ut ipse quoq; Cicero animadvertit in Orat. c. 50. quorum antithetorum exemplum est apud Cicer. IV. Verrin. c. 52. Conferte hanc pacem cum illo bello &c. item cum verba verbis quasi demensa et paria respondeant, veluti in Milon. Cicer. loco a Rhetore laud. ad quod ipsum suum exemplum ipse provocat Cicero in Orat. c. 49. Etsi vero hoc quidem genus frequens est, ut ait Rhetor Noster apud Isocratem: tamen eodem jam antiquiores Isocrate utebantur, maxime Gorgias. Ceterum id sedulo tenendum, non ubiq; numerosam orationem locum et usum habere, sed duntaxat iis in causis, ubi laudandum est aliquid ornatius veluti Cicero fecit 2. Verrin. a c. 1–4. vel narratio instituenda, quae plus dignitatis quam doloris habet veluti IV Verrin. a c. 52 sqq. Non immerito hic in consilium vocari potest Disputatio Abbatis Batesii (: Bateau) in Comment. Acad. Inscript. Tom. XXXV a p. 413 sqq.

§ 375. Efficitur autem &c Quantumvis vero numerus non Poëtarum et Musicorum acerrima lege dirigendus sit: efficiendum tamen est ne vagetur oratio, sed varie distincteq; considat, scilicet primi, postremi medii pedes hac vicissitudinis ratione servari debent, ut tota oratio a capite ad extremum veniens ipsa consistat et clausulae quidem diligentius sunt servandae quam superiora, quod in his maxime absolutio judicatur secund. Cicer. III. de Orat. c. 50. Apte autem et numerose cadent clausulae, si utaris 1um dichoreis non ditrochaeis, exempla haec sunto, veluti, conquiescit pro Leg. Manil. c. 6. Collocetis in Orat. pro Domo c. 58. comprobavit, quo dichoreo tantum clamorem concionis excitatum esse scribit Cicero in Orat. c. 63. ut admirabile esset. 2do loco anaspastis qualis est in verbo fateretur, ut in illo Milon. Orat. c. 3. interfectum esse fateretur, sic. retardaret, uti: deniq; somnus retardarit in Orat. pro Archia c. 6. 3o loco epitritis et quidem primo epitrito, comprobaverunt apud Cicer. pro Domo c. 16. item adaequandam, cum omni posteritate adaequandam pro Archia c. 11. in fine. et tandem paeonibus, qui epitritis sunt contrarii, tanquam, fateatur hominem occisum esse fateatur 2. Agrar. c. 22. inprimis illud, esse videatur, quod adeo frequentatum Ciceroni ut ejus simioli jam satis pulcre divinam ejus eloquentiam assecuti esse viderentur, si in clausulis, esse videatur, posuissent, quod jam notavit Quintil. Lib. X c. 2. Proximam clausulis diligentiam postulant initia, sed eorum facilior ratio est secund. Quintil. Lib. IX c. 4. et ordiri plerumq; placuit a paeonibus et quidem paeone primo veluti: Tandem aliquando Quirites 2 Catilin. c. 1. porro dichoreis, non tam syllabarum numero quam aurium mensura paribus ferme, veluti: Quod precatus a Jove O. M. apud Cicer. ad Quirit. post Red. c. 1. 4to loco anapaestis, qui procerior est numerus judice

Ciceron

Cicer. III. de Orat. c. 48 cog orationem suam exorsus est Cicero. Animadverti judices omnem accusatoris orationem pro Cluent. c. 1. Eadem quoq; mediis cum sit cura ita temperandi sunt numeri ut ne nimia proceritate tardi evadant, aut nimio brevium contextu incitatius resultent ac sonum reddant paene puerilium crepitaculorum vid. Quintil. Lib. IX c. 4. id enim variare debet pro varietate orationis. graviores vero causae tanquam expositiones rerum tarditatem exposcunt, veluti spondaeos item epitritos, quod docet Quintil. Lib. IX c. 4. contra in levioribus multos pedes brevium syllabarum adhibere decet, tanquam Dactylos. De toto hoc argumento ornatus e Compositione, Structura et numero feliciter disputarunt veteres Rhetores tanquam Aristoteles III. Rhetor. c. 8 et 9. Pseudo-Demetrius de Elocutione p. m. 16. Edit Casellianae et singulari Libello Dionys. Haliae. περὶ Συνθέσεως ὀνομάτων a p. 155 ad 222. e Latinis Cicero III. de Orat. a c. 42. et in Orat. loco a Rhetore laudato, e recentioribus viz egregius Rollinus in Method. Discend. Bonas Literas Tom. II. a p. m. 195.

CAPUT V.

De ornatu e Copia.

§ 376. Copia elocutionis &c. Si ulla alia in re eloquendi vis cernitur, profecto in Orationis copia totum se aperit. Sua enim natura quicquid est varium delectat. totum autem id genus copiae situm est partim in commutatione partim in amplificatione verborum idonea. Commutationem Mag. Herenn. vocat expolitionem cum in eodem loco manemus et tamen aliud atq; aliud dicere videmur IV. Rhetor. c. 42. Et commutabimus quidem dupliciter verbis et tractando ut idem loquitur Magist. Herenn. verbis quippe commutamus, cum re semel dicta iterum aut saepius aliis verbis eandem proferimus. tractando vero si sententiam trajiciemus aut ad sermocinationem aut ad exsuscitationem quemadmodum idem Mag. Herenn. l. l. recte docuit. Hanc autem diligentiae virtutem consectari nos oportet, nisi idonea subsit ratio cur eadem verba bis terve usurpemus. accidere enim haud raro potest, ut aeq apta vel aptiora inveniri non possint, quam ob causam locus ille Homericus Odyss. T v 204. a Rhetore laudatus et jam diu ante eum ab Hermogene in Methodo loco a Rhetore laudato, ad quem locum legi meretur Laurentius p. m. 191 (optimus Comment. in Hermogen.) minumera quoq; ferme alia Homeri loca in medium afferri possint, in quibus non singulorum dumtaxat verborum sed integrorum versuum repetitio occurrit, qua de re legi meretur Doctissimus olim Medicus et Philolog. J. H. Schulze Dissert. de Tautolog. Homeri Italae Magd. Edita. Sic Terentius eosdem versus bis usurpavit in Prolog. Heauton. a v 45 et in Prolog. Hecyr. a v 41. Ita foenerator bis eodem versu cum 1. Satyr. Satyr. 2. v 13, tum in Art. Poët. v 421. describitur. Dives agris &c. Tametsi crebra ejusdem verbi et formularum iteratio puerperatis et infantiae in dicendo index esse soleat: nihilominus tamen haec ipsa in disertissimis subinde Antiquitatis Graecae et Romanae Scriptoribus cernitur ut praeclare annotavit disertissimus olim Witteberg. Academ. Orator J. G. Dergerus de naturali

de Natur. Pulcrit. Orat. p. 239. Interim in veteribus causa non fuit inopiae necessitas, quam venustae simplicitatis consectatio Graecis decedera nec ingratae negligentiae causa. etenim quaedam negligentia est diligens judicio Cicer. in Orat. c. 23. de qua grata veterum in scribendo negligentia singularis est Rhetoris Nostri Prolusio Lipsiae edita, sed postea illata ejus Opusc. Philol. Lugd. Bat. editis p. 102.

§ 377. Hujus commutationis &c illius vero commutationis facultatem alunt sermonis alicujus divitiae. is vero sermo dicitur esse locuples, in quo singulorum et compositorum verborum idem paene scientium multitudo spectatur. Sunt quidem nonnulli qui censeant in nullius populi dialecto ejus generis esse synonyma ut alterum promiscue pro altero accipi possit, quo in judicio eos decepit aliena philosophandi in rebus facti ratio. Synonyma enim non subtilitate dialectica, sed usu loquendi aestimantur. Si enim Synonyma ad dialecticas tortuosas disputationes exigerentur, pauca sane vel potius nulla in omni Lingua reperirentur. vel sic tamen populares loquentium consuetudo nos docet non raro, quae idem sciant verba usurpari, ideoq varia in promtu esse oportere et vocabula et formulas scribenti argum. Quintil. X. Instit. c. 1. Neq tamen nego aliis alia aut magis propria aut magis ornata aut plus efficientia aut melius sonantia esse. ideoq ex his optimorum electionem fieri oportere. nulla autem in verbis singulis et compositis uberior Lingua est quam Graeca et Latina. Esto enim certare velo utra harum locupletior sit, Graecis quos uno in loco derogante Cicerone, tanquam 1. de Finib. Bon. et Mal. c. 3. et saepius aliubi: tamen id constat Latinos in primis phrasibus, quas vocant sive loquendi formulis abundare. testes sunt praeter innumerabiles alios v. c. moriendi, rapiendi, sciendi formulae. De moriendi formulis vid. Erasmus 1. de Copia verborum c. 192. quibus addere licuit illud Phaedri IV Lib. Fab. Fab. 19. v 1. abiturus illuc quo priores abierunt. Rapiendi ita Verres Siciliam provinciam per triennium depopulatus esse, civitates vastasse, domos exinanivisse, fana spoliasse dicitur apud Cicer. in Divinat. in Caecil. c. 4. Eodem modo in verbo sciendi non mediocris est copia veluti, non ignoro, non me fugit, non me praeterit, quis nescit? nemini dubium est. etiam ex proximo nonnulla mutuantur, nam et intelligo et sentio et video saepe idem denotant quod scio vid. ubi Quintil. X Instit. c. 1. Scribenti igitur hujusmodi Synonymorum et phrasium copia in promtu esse debet, quae tamensi longe aptius felicius sedula Librorum veterum Lectione comparetur: tamen a singularibus nonnullorum Grammaticorum Libellis repeti interdum debent, in quibus ut unico utar exemplo D. Erasmus vir longe major in rerum scientia versatus ad hanc colligendi operam non se demissurus fuisset, nisi literarum Latinarum studio utilissimam fore praevidisset. extat autem ejus quantivis pretii Libellus de utraq Verborum et Rerum Copia saepe editus, quem Morhofius in Polyhist. Lib. VI c. 1. jure appellavit utilissimum sed notiorem nomine quam usu frequentem. Quae vero in verbis

in verbis singulis et conjunctis se offert incredibilis varietas ea quoq; in ipsa dictionis junctura cernitur, tanquam in narrando et describendo. ita v. c. tumultus Gallici et Annibalici apud Romanos diversa ratio erat. vel sic tamen ambo tanta orationis varietate ornavit Livius Lib. V. c. 39. et XXII: 7. ut eadem prorsus animorum trepidatio videretur. eodem pacto Justin. Lib. V c. 7. cum eo ipso Libro VIII: 5. contendi debet. utrobiq; pavor invaserat Athenienses et Graecos, illos propter a Lysandro factam ad Aegos potamos. hos propter imminens Macedoniae jugum.

§ 378. Figurae commutationi &c. Eandem vero rem non eodem modo sed conversa et mutata oratione dicemus, si tropis et figuris cum dictionis tum sententiae apte utemur. Sunt autem omnes figurae vel suavitatis vel gravitatis, quarum novissimae ad commutationis dignitatem maxime valent. Sic in tropis laudata erat λιτοτης cum negatione contrarii plus scamus quam dicimus, qua forma loquendi Graecos et Romanos saepissime usos esse eodem illo loco indicavi. Ita Xenophon ὀ τȣς αειρισȣς vocat i.e. non pessimos viros bonos 1. Memor. Socrat. c. 2. paragr. 32. apud Latinos Ciceroni Cotta mox summus Orator, mox minime ineptus dicitur in Bruto c. 56. eodem pacto itidem Xenophon in Memor. Socrat. Lib. 1. p. 708 Oper. cum paullo ante scripsisset φανερος ἦν, mox variandae locutionis gratia usurpavit ȣ̓κ ἀφανης ἦν. In figuris autem sententiae ad effingendam sermonis copiam idoneis est interrogatio atq; huic finitima quasi percunctatio, item personarum ficta inductio ut loquitur Cicero III. de Orat. c. 53. Sententiam autem ad interrogationem quomodo quis trajiciat legi omnino debet Mag. Herenn. IV. Rhetor. c. 43. Egregia quoq; sermocinationis exempla sunt apud Cicer. in Divinat. in Caecil. c. 5. Sicilia tota si una voce loqueretur hoc tibi diceret. item: patria sic tecum agit et quodammodo tacita loquitur 1 Catilin. c. 7.

§ 379. Verborum porro frequentia &c. Apta verborum frequentatio fit cum aut proprium verbum aut idem scans aut verbum in plura verba diducitur ut ait Cicero in Orat. Partit. c. 7. h. e. cum plura synonyma accumulantur nec idem verbum redintegratur, sed id commutatur quod positum est alio verbo. Synonyma autem quo sensu accipi debeant non dialectico sed rhetorico antea jam monui. atq; propria saepe verba junguntur rei sive clarius demonstrandae sive impulsionis gratia, adeoq; non in orationibus duntaxat sed etiam in disputatione subtili plurium verborum idem scantium copia locum habet. Primum in oratione, veluti: nobiscum versari jam diutius non potes, non feram, non patiar, non sinam 1 Catil. c. 5. ita: totus ejus vultus, qui sermo quidam tacitus mentis est, in fraudem homines impulit, hic eos quibus erat ignotus, decepit, fefellit induxit in Pison. c. 1. Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum,

non

non tragico illo Oreste dementiorem putem in ead. Orat. c. 20. In disputatione vero subtili cum docemus aliquid, interpretamur, definimus, illustramus rem, suavitatis est pluribus Synonymis uti, veluti, labi, errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus I. de Offic. c. 6. item: vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert humanitas apud eund. II. de Offic. c. 14. Quodsi propria verba cum tropico aut plura tropica copulantur quod saepe fit, ne id quidem vituperari potest. Nam censere nos oportet non modo naturam rei ipsam semper sed etiam ab effectis a generibus et formis aliisq modis et adjunctis describi. ita cum Cicero liberalitatem et benignitatem jungit II. de Orat. c. 25. aut beneficentiam cum benignitate miscet, justitia, inquiens et huic conjuncta beneficentia quam eandem vel benignitatem vel liberalitatem appellari licet I. de Offic. c. 7. his certe verbis unam rem, sed altero causam, altero rem effectam exprimit. Par ratio est in multiplici conjunctione verbi, frangere. aut enim dicitur fregit et domuit apud Cicer. de Provinc. Proconsul. c. 13. aut, fregit, commisnuit, repressit II. de Offic. c. 11. aut fractum prope et debilitatum Graeciae nomen pro Flacco c. 26. Interdum etiam tropi a diversis generibus ducti junguntur, negs tamen in his plus inest scaenis quam in propriis. junctu-rae tamen illius, qua necti a Rhetore Nostro dicitur, investigatio aty indagatio veri exemplum requiro. legitur quidem apud Cicer. hominis est quidem proprii veri inquisitio aty investigatio I. de Offic. c. 4. item indagatio aty inventio veri apud eund. l. l. c. 5. verum illo quo posuit modo Rhetor, quantum memini non extat. De Synonymorum autem usu operae pretium erit legere Erasmum de Cop. Verb. et Rer. Lib. I. c. 11.

§ 380. Oritur haec frequentia &c. Quemadmodum vero singula verba idem sciantia congreganter; ita etiam plures formulae unius ejusdemq sententiae necti solent per ἐξεργασίαν sive ἐπιμονήν quam Copiae potius fontem cum Rhetore Nostro, quam cum Vossio figuram interpretari malim vid. Voss. v. Inst. Orat. c. 2. Eaq locutionum τοδυναρεστων consociatio optimis quibusq Oratoribus et Poëtis praesertim Ciceroni, Ovidio, Virgilio maxime in deliciis fuit, quos tamen nonnulli jam olim Romanorum judicii parum idonei hoc nomine cavillari audebant. Ciceronem certe illius aetatis homines ut Asianum et redundantem et in repetitionibus nimium reprehendisse dicuntur teste Quintil. Lib. XII. c. 1. Virgilium eundem sensum bis et ter repetentem nix tulisse dicitur Seneca ut annotavit Erasmus I. de Copia Verborum c. 4. Ovidium quoq nescire, quod bene cesset, relinquere judicavit Scaurus apud Senec. Rhet. IV. Controv. c. 28. Equidem tametsi non negem hanc commorationem in una sententia posse degenerare in περισσειαν: tamen ipsius peccati reos fuisse illos trium viros haudquaquam credidirim. videri quidem potest v. c. Cicero paribus locutionibus lusisse cum pro Ligar. c. 3. et pro Rabir. perduell. reo c. 7. eandem rem aliis verbis descripsit. item Virgilius I. Aen. v. 546. sqq. Trojae ruinas descripsit, qui locus contendi potest cum III. Aeneid. v. 11 aliisq locis. Sed si quis recte animum adverterit locutiones illas reperiet non re quidem sed formis rei, modis, eventis diver-

sas ea

sas esse. in quibus vel reperiendis vel stilo tractandis summa ingenii vis sita est. omnis enim res uti habet plures ansas: ita etiam plures quasi gestus pro varietate causarum, effectorum, signorum, quos qui observare didicit, ille etiam varias dicendi formulas assequetur. Documento sint ex antiquis 1° Virgilius qui a Rhetore Nostro dicitur 50. amplius modis hoc unum: arare. sive agrum colere expressit. Si incertum pro certo numero ponit ferendum est. sin certum, neglecto sane an rem vero majorem fecerit. id constat in Georg. saltem ultra viginti circiter modis hanc locutionem variasse. tanquam terram vertere 1. Georg. v. 1, 2. ferro findere aequor ibid. v. 50. teneri suspendere silex v. 68 subigere arva v. 125. similig varietate usus est in aliis. Similem copiam animadverti in descriptione equi generosi III. Georg. a v. 75. Pari felicitate beatissimus fuit Ovidius unam saepe eandemq rem et sententiam multis modis exprimens, materia varietatis sumta a causis effectis, adjunctis, signis veluti, vernum tempus adest III. Trist. Eleg. XII a v. 1—15. collatus cum 1. Fastor. a v. 151. ita locum illum communem, dissimulanter amici in rebus dubiis aufugiunt 1. Trist. Eleg. VIII a v. 5—20. elegantissime exornavit.

§ 381. Atq hinc pendet &c Quo sane spectat illud artificium quo rebus et sententiis vulgaribus aliquid novi habitus et coloris adscisimus. non quod sententiae usu tritae per se fieri possint novae, sed quod commutatione verborum et locutionum inopinatam quandam novitatis speciem induunt. Neq, tamen sequitur ut si quid in verbis sententiisq cultus habeant Latini tanquam Cicero Virgilius, Horatius alii, id necessario vel a Graecis vel a popularibus fuit aetate superioribus mutuatos esse existimari debeat. hic enim valet quod de Virgilii, Ovidii et Cornelii Severi Aetna judicavit Seneca Epist. 79. Aetna inquiens, quo minus Ovidio carmine tractaret nihil obstitit, quod jam Virgilius impleverat ne Severum quidem Cornelium utiq deterruit &c Sane cum ingeniosissimi homines rei cujusq modos omnes et quasi species animo tenerent non putarunt praeclusam sibi viam esse quin idem argumentum ad arbitrium suum fingerent legatur hic Quintil Lib. X. c. 5.

§ 382. 383. Oportet etiam commutatione &c In primis grata est orationis novitas et commutatio sive in orationis sive disputationis tenore cum superiora inferioribus apte nectenda sunt, atq in unum coalescere jubemus sermonem, quae conglutinatio locum habet in definiendo, partiendo, argumentando sive rationibus sive exemplis. non enim ab una re ad aliam, si nobis transeundum sit, utendum esse censeo frigida illa et puerili consuetudine, qua formulis duntaxat quibusdam vel sententiolis unam rem alteri nectere student. propterea fructuosum erit cum Dicendi tum disserendi causa elegantissimum quemq e Graecis et Latinis velut Platonem et Xenophontem in Memorab. Socratis in primis Ciceronem cum in Orationibus tum in Disputationibus

tationibus seu rhetoricis seu philosophicis, in primis quas de Offic. scripsit legere, conferatur hic omnino Quintil. Lib. VIII c. 6. quorum tantorum hominum velut contubernio familiariter usi, non modo unde ducta et quomodo tractata sit ubertatis ratio intelligemus, sed etiam similibus in causis incorruptam Atticae et Romanae commutationis imaginem oratione exprimemus.

§ 384. Existit igitur copia de variis modis autem institui potest verborum singulorum dilatatio. Primum periphrasi, quae est orationis circuitio, rem simplicem circumscribens elocutione secund. Mag. Herenn. IV. Rhetor. c. 32. tanquam cum Isocratis schola rhetorica, ludus atq; officina dicendi appellatur apud Cicer. in Bruto c. 8. et schola, mercatura bonorum artium apud Cicer. III. de Offic. c. 2. nomen Romanum pro Romanis apud Tacit. IV. Histor. c. 18. oppressores dominationis, pro tyrannicidis apud Cicer. in Ep. 16 ad Brut. An vero quisquam dixerit, iter fato destinatum pro morte, dubito. Ejusmodi vero circumlocutionis genus amant Poëtae quorum exemplis collegit Vossius IV. Inst. Orat. c. 12. petierunt q; nox a nominis ratione, nox definitione, mox notatione rerum adjunctarum, veluti a moribus, ingenio et studiis si v. c. Aristidem, Atticorum optimum justissimumq; Varronem Togatorum doctissimum, Ciceronem Romanae eloquentiae principem scriptores passim appellabant vid. ollo Quintil. Lib VIII: 6. Sic definitio latior sive Rhetorica quae unius nominis naturam per attributa, partes, effectus, rationes q; declarat, tanquam cum magnum et invictum alicujus animum ita descripsit Cicero ut eum res humanas despicere atq; infra se positas arbitrari dixit III. Tuscul. c. 7. Praeterea cum simili modo alios orationis partes circumloquimur, tanquam adjectivorum superlativa, intimus, familiarissimus, sic: cum ea mihi tanta familiaritas consuetudo q; semper fuit, ut nulla major esse possit exemplo Cicer. VI ad Div. Epist 9. aut verba circumloquimur veluti valde amo, sic: tam sum amicus rei publicae, quam qui maxime exemplo Cicer. V. ad Divers. Epist. 2. vel te vehementer rogo. hunc in modum: hoc te ita rogo ut majori studio rogare non possim exemplo Cicer. I. ad A. Fratr. Epist. 2. c. 3.

§ 385. Alter Dilatationis de sumitur quoq; verborum amplificatio a partitione et distributione, qui fons est omnium uberrimus oratoriaq; in primis facultati aptissimus. Est autem distributio cum in plures res aut personas certas negotia quaedam dispertiuntur secund. Mag. Herenn. IV. Rhetor. c. 38. hoc modo: luget Senatus, maeret equester ordo, tota civitas confecta senio vid. Cicer. pro Milon. c. 8. Cui partitioni Graecis μερισμῷ, alii congeriem Graecis ἀναριθμησιν et συναθροισμου subesse existimant, alii contra inter Distributionem et congeriem ita distinguunt, ut distributio genus in suas formas, totum q; in suas partes adire jubeat. congeries vero quomodocunq; non tam per gradus, quam velut acervo quodam res diversas consociet, tanquam in exemplis a Vossio allatis V. Instit. Orat. c. 8. ex Ciceronis III. Catil.

c. 7

c. 7. post redit. in Senat. c. 1. addig. potest locus Cicer. in principio 3. Catil. non 2da c. 1. Verum illa distinctio haud dubie intricatior est, quam pro popularitate Rhetorica. Ideog si hujusmodi discrimine opus sit, cum Rhetore Nostro sic distinguere malim, ut distributionem, μερισμον paucora, congeriem plura enumerare et condensare putem.

§ 386. Alios fontes &c. De hoc suo loco, de Inventione.

CAPUT VI.

De Generibus Dicendi.

§ 387. Uti in omnibus rebus &c. Singulae res hominumq personae suas habent formas a natura, quas si agendo dicendoq imitari velimus quid cuiq conveniat scire nostra plurimum interest. Uti enim in omni vita et arte caput est decere quod facias: ita elocutionis facultate comparata proximum est videre ut dicamus apte judice Quintil. Lib. XI. 1. Hoc Graeci appellant τὸ πρεπον. Latini decorum vel dignitatem vid. Cicer. in Orat. c. 21. Quod quidem dignitatis genus nulla propria arte, nullis praeceptis tradi potest, ut recte judicat Cicer. 1. de Orat. c. 29. quoniam interna animi motibus sentiri debet et usu exemplisq magis addiscitur, quam ab ullo magistro. forma enim dicendi non semper certa et stabilis est. Sed pro diversis dicendi finibus et triplici Oratoris munere variatur. proinde suis hominum personis et rebus accommodari debet. Oratoris enim est primum docere et probare, quod est necessitatis. 2do delectare, quod est suavitatis 3o flectere et movere, quod est admirationis et victoriae. Inde efficitur ut quot sunt officia Oratoris tot etiam sint genera dicendi. 1um subtile et tenue in docendo et probando. 2do mediocre sive temperatum in delectando, et tandem vehemens sive sublime in movendo et flectendo vid. oio Cicer. in Orat. c. 5 et 6. atq in hoc quidem formarum dictionis numero optimi quiq Graecorum et Latinorum Rhetores conveniunt tanquam Demetrius de Elocut. c. 36. (: aureus Libellus, omnia praecepta clarissime docens:) sic Cicero in Orat. c. 29. porro Dion. Halic. de gravitate Demosthenis p. m. 185. Opp. Rhetor. Cum vero omnes Rhetores in trium horum orationis generum vim et absolutionem eloquentiae ponant, operae pretium erit singulorum causas, virtutes, vitia persequi.

§ 388. Sublimitas, e disciplina &c. Prima dictionis forma est sublimitas, in cujus natura, causis et adjunctis generatim describendis multi operam et tempus collocarunt. De nulla certe re hodie, quam de sublimitate orationis disserere et philosophari solent, quicunq per Franciam et Germaniam sibi Rhetorum et Grammaticorum personam sumserunt, tanquam Abbas Batteux in principiis Literaturae, in Germania Ramlerus, Ridelius Moses Mendelii filius in Libello de Sublimitate, et totus ille grex belli spiritus rectorum. sed ita tamen ut vel nihil novi in medium afferrent, vel ab aliis praeclare dicta obscurarent verius quam illustrarent. Hoc vero sublime appellamus, quod a

quod a Graecis vel χαρακτηρ μεγαλοπρεπης Demetrio περι Ερμενειας c. 36. vel ὑψος Longino dicitur, Latinis vero magnificum et praeclarum veluti Cicer. II. de Orat. c. 21. Orationis autem sublimitas e triplici potissimum fonte manat secundum Longinum quidem περι τȣ̃ ὑψȣς sect. 8va 1us est felix in sententiis excogitandis et proferendis audacia, sive ut Rhetor Noster loquitur sententiae, quae magnae alicujus &c alter est vehemens et generosi spiritus affectus. 3us certa quaedam figurarum cum dictionis tum sententiae conformatio. 4tus illustris et splendida elocutio. 5tus denique magnifica et grandis compositio structurave.

§ 389. Primum genus sublimitatis &c Primus sublimitatis fons est, ut indicaveram felix audacia, quae oriri non potest, nisi adsit animus excelsa, elata, grandia cogitans. is autem nulla institutionis arte parari potest, sed gignitur educationis dignitate et diuturna cum honestis et elegantibus hominibus consuetudine. unde tripliciter sic rationem concludo. primum Orationis sublimitatem indivulsam esse animi excelsi comitem sive ut loquitur Longinus Sect. 9. τὸ ὕψος μεγαλοφροσυνης ἀπήχημα h. e. sublimitatem esse magnitudinis animi quasi praeconem, tum reprehensione dignos esse, qui omnem sublimitatem verborum magnificentia metiantur. quandoquidem sublime etiam cum simplicitate verborum potest consistere. tandem hanc sublimitatem assequi neminem posse, qui a puero in rebus humilibus et nugacibus versati fuerunt, qui nunquam adumbratam quandam magnitudinis intelligentiam animo effingi passi sunt, semperque humi repentes, nunquam ad rerum mirabilium disciplinam assurrexerunt. Hinc ratio idonea reddi potest cur tam pauci extent veri nominis Oratores et Poëtae quoniam raro magnarum rerum atque artium scientiam consecuti sunt judice Cicer. I. de Orat. c. 6. et plerique non ad excellentiam artis, sed ad lucrum et quaestum, qui est auctoramentum servitutis respexerunt, recte propterea Horatius in Arte Poët. a ℣ 325. Romani pueri

§ 390. Magni sensus autem insunt &c Sententiarum vero altitudo in quatuor potissimum causis et signis quaeritur. 1um In rei cujusdam grandis et splendidae forma illustri, qualem admiramur in exquisita illa et pulcra Eridis pictura apud Homer. Iliad. δ a ℣ 440. Eris enim super terram graditur, et tamen nubes et coelum capite attingit. aut famae apud Virg. IV. Aeneid. ℣ 174 sqq. item nihil pulcrius est constantis et nihil timentis animi specie apud Horat. III. Carmin. Od. 3. ℣ 7. Si fractus illabatur orbis impavidum ferient ruinae. Nec non imperterriti animi sententia, quam in Spartanis descripsit Cicero I. Tuscul. Quaest. c. 42. Cum enim Persa quidam in colloquio cum Spartano habito gloriaretur, Solem prae jaculorum multitudine non videbitis, respondebat Laco, in umbra igitur et tenebris pugnabimus. 2do in figura sententiae. διατυπωσει h. e. illustri rerum explanatione, cum ita res verbis exprimitur ut geri negotium et res ante oculos collocata esse videatur, de quo schemate supra ad paragr. 359. 3o loco in subita et numeris suis absoluta operis effectione quae immensam auctoris granditatem majestatemque declarat, quo nomine Divum Mosem laudat Longinus etsi profanae superstitionis assecla et praecep-

tor

tor summi Christianorum hostis Porphyrii Sect. 9. quod, cum summi effectoris nutum et jussionem, tum rei celeriter effectae portentum simili verborum dignitate depinxerat: εἶπεν ὁ θεὸς γενεσθω φῶς και ἐγένετο. γενεσθω γη και ἐγένετο i. e. dixit Deus fiat lux et facta est. fiat tellus et facta est.

§ 391. Alter fons sublimitatis &c Ab acri commotione animi alterum quidem sublimitatis fontem duxit Longinus Sect. 7. sed de hoc in nostris quales hodie supersunt aurei ejus Libelli reliquiis data opera non disseruit. unde suspicantur nonnulli eam partem Libri interiisse. quicquid hujus rei sit, hoc tamen constat affectus opportune excitatos grandem in primis et quasi divinam efficere orationem. non tamen omnes omnino, sed nobiliores. alias qui sunt remissiores et humiliores velut tristitia, metus, invidia non aeque. Sublimitas autem postulat τὸ γενναιον παθος i. e. affectum generosum et fortem. grandia vero nemo loqui potest, nisi acriore mentis incitaône commotus.

§ 392. Tertium fontem fecimus &c Tertius sublimitatis fons judice Longino debetur figuris sive dictionis sive sententiae, non tamen universis, sed illis duntaxat, quae orationis gravitati prosunt. In figuris autem dictionis censeri debent, ellipsis, pleonasmus, asyndeton, polysyndeton aliaeq id genus. In figuris sententiae hae potissimum illustrant orationem, praeteritio, communicaô, interrogatio, exclamatio, sermocinatio et prosopopoeia. recte sane Quintil. Lib. XII c. 10. At ille, inquit, qui saxa devolvat, et pontem indignetur, et ripas sibi faciat, multus et torrens judicem vel nitentem contra, feret, cogetq ire qua rapit. hic Orator et defunctos excitabit. &c. Verum Oratoriae facultatis tirones hoc velim teneant, ejusmodi figuris non semper locum esse posse, sed rei et tempori consentaneas esse debere, neq pueriliter et scholastice quaeri posse sed ab ipso pectore, quod disertos facit, nasci.

§ 393. In delectu verborum &c Quartum sublimitatis fontem Longinus sumit φρασιν h. e. elocutionem et verborum illustrium dilectum, in quo non modo id est observandum, ut nunquam turpia et sordida usurpemus, sed in id incumbendum est ut propria et illustria vulgaribus et de medio sumtis anteferamus, ut productioribus utamur verbis. talia v. c. sunt praeter haec a Rhetore allata: labefactatus, debilitatus pro fracto; effeminatus pro muliebri; effrenatus pro indomito. Item. verba copiae, qualia sunt in osus desinentia, ut fructuosus, contumeliosus, mulierosus, exitiosus alia id genus. et superlata omnia, tanquam liberalissime atq honorificentissime tractatum pro liberaliter et honorifice. praeterea adhibeat sonantiora et magis canora tanquam pusillum laxamentum pro levi remissione; exterminatus pro fugatus et expulsus, amandatus Rhetoris Nostri non tam proprie et simpliciter dimissus, quam in exilium pulsus. praeterea omnia paene adjuncta in bilis exeuntia, tanquam lacrymabile bellum pro funesto, insaturabile abdomen, inexorabilis homo, inextricabilis difficultas. similiter cum translationes natura sint grandes haudquaquam diffidendum est verba translata fastigio dicendi praedesse, dum-

modo

modo sint conciliandae magnitudini consentanea. Interdum etiam summa verborum brevitas majorem vim habet, quam copiosissima orationis amplitudo, admirationemq; parit omni amplificatione majorem ut in isto Mosaico de quo antea ad paragr. 390. tandem ne poëtica quidem repudiat sublimitatis architectus. non raro enim ut ait Cicero III. de Orat. c. 38. habet etiam in oratione poëticum aliquod verbum dignitatem, uti Lymphatus pro furens apud Cicer. I. de Divinat. c. 36. sic etiam Livius hoc adjuncto usus est de valde trepidis et attonitis Lib. VII: 17 et Cicero: agitari et perterreri furiarum taedis ardentibus pro Rosc. Amer. c. 24.

§ 394. Deniq; sublimitatem &c Quintum et postremum excellentiae quam in dicendo sequimur caput est secundum Longinum Sect. 39. Compositio i. e. apta verborum collocatio et conclusio, junctura et numerus. primum igitur gravia, sublimia longas magis syllabas et claritatem vocum poscunt, quam his contraria vid. Quintil. IX c. 4. deinde dignitatem non habet oratio, quae in minimas conciditur particulas, aut continuis quasi clavis caesim compingitur, imo laxioribus utendum est membris et periodis, ut frequentiorem velut pulsum habeant et animos percellant. deniq; sublimia spatiosas clarasq; voces adesse jubent, amant amplitudinem. dactyli quoq; et paeones etiamsi majori ex parte syllabis brevibus constant, tamen temporibus satis pleni. unde efficitur ut oratio quoq; apte numerosequ; claudatur. legite hic omnino Quintil. qui in hac praeceptionum ratione copiosus est IX. Inst. c. 4. a paragr. 126. sqq.

§ 395. Sublimitati contrarium &c Sublimitati adversatur inflatum dicendi genus, quod Longinus Sect. 3. vocat item Latini tumorem quasi sufflatum. deinde etiam opponitur ψυχρον vel παιδαριοτης frigidum et puerile. uti corporis bonam habitudinem tumor imitatur: ita gravis oratio saepe imperitis videtur ea, quae turget et inflata est secundum Mag. Herenn. IV. Rhetor. c. 10. Oritur autem tumor si verbis magnificis figurisq; res grandes scantibus utimur in rebus exilibus, ubi nulla sententiarum altitudo subest, aut subesse potest, quales interdum nubes et inania captant, cum in docendo in disserendo multis figuris utantur seu dictionis seu sententiae. tum si quis ultra modum hyperbolis utatur, nisi captandi risus gratia adhibitis, tanquam cum servus de hero suo Euclione sic opinabatur apud Plaut. Aulular. Pumex non aeq; est aridus atq; hic est senex Act. II: 4: 18. Eoq; in primis vitio laborat Florus, ut multis exemplis praeclare docuit Graevius in Praefat. edit. suae cujus judicio male intercessit Laur. Bergerus. ad haec tumor et frigus consequitur, si in rebus tenuibus et popularibus carmina enthusiasmi plena imitemur. quod vitium est eorum qui nesciunt quid discriminis insit in soluto et poëtico orationis genere. nam poëtae alia velut lingua loqui solent secund. Cicer. II. de Orat. c. 14. Deniq; frigescit oratio si epithetis otiosis languentibus, grandioribus quam pro rei natura nimis frequentibus et intempestivis

intempestivis utamur. de quorum epitheorum virtutibus et vitiis operae pretium erit legere Vossium IV. Inst. Orat. c. 13 nro 8. Ceterum quid sit turgidum in oratione adeoq; orationi non granditatem sed frigus et nauseam afferat, non modo Quintil. bene descripsit Lib. VIII c. 3. sed etiam eruditissimus Theologus Helvetus Sam. Werenfels in eleganti Dissert. de Meteoris Orationis quae extat in ejus Opusc. Theol. edit. novis. Tom. II p. 391 sqq.

§ 396. In hoc vitium incidunt &c. Per se intelligi potest.

§ 397. Alterum dicendi genus &c. Alterum orationis genus sublimi contrarium est, non uno autem nomine venire solet. nox tenue vocatur apud Cicer. in Orat. c. 24. nox summissum et humile apud Cicer. in Orat. c. 23. nox subtile itidem Cicer. III. de Orat. c. 45 porro elegans argumento Cicer. in Brut. c. 9. nox acutum argum. Cicer. de Optimo genere Orat. c. 2. et enucleatum exemplo Cicer. in Orat. c. 26. Quanquam vero haec attenuata dicendi forma usq; ad usitatissimam puri sermonis consuetudinem demissa sit, ut loquitur Mag. Herenn. IV. Rhetor. c. 8. tamen suas habet virtutes et sententiarum et verborum. Tenuis orator non adhibebit sententiarum lumina, sed populares sententias, adsperget etiam sales qui in dicendo plurimum valent. in verbis verecundus est, amatq; sermonem rectum, purum, sanum q. non audax erit in transferendis neq; nimiam concinnitatem ornatus quaeret. vitabit splendidiorem copiam et brevitati studebit, unicam hanc virtutem sectatus ut dilucide et plane dicat legatur ejd Mag. Herenn. IV. Rhetor. c. 9 et 10. simul Cicero in Orat. c. 23 sqq.

§ 398. Hujus generis exempla &c. Subtilis hujus et acuti generis dicendi optima sunt exempla apud Graecos Aeschines Socraticus in Dialogis. item Lysias toties eo nomine a Cicerone laudatus. nox enim dicitur Attice venustissimus Scriptor et politissimus. nox non ille quidem amplus et grandis causidicus, subtilis tamen et elegans in Orat. c. 9. In Latinis sunt praesertim Caesar in Comment. qui Ciceroni loco a Rhetore laudato dicuntur recti et venusti omni ornatu tanquam veste detracto, quos simul adnotavit, cum nonnulli calamistris inurere vellent, ineptuli evaserunt. praeterea Corn. Nepos in Vit. Excell. Imperat. Cicero ipse in Libris Rhetor. et Philosoph praecipue in pulcherrimis de Officiis Libris, quibus legendis filium suum ipse pater effecturum esse orationem Latinam plenioremsibi persuadebat I. de Offic. c. 1. praeterea in Epist. ad Divers. plerisq; et ad Attic. omnibus

§ 399. Ceterum hujus generis &c. In hoc genus orationis tenue atq; subtile cadunt omnes, qui verum pulcri sensum habuerunt, adeoq; omni tempore, quo pretium boni literis et eloquentiae statutum fuit semper placuerunt inter Latinos illi, qui principatum eloquentiae tenebant. sed ineptis de vulgo judicibus non vehementer probantur. utpote qui nescio quam floridam pictam et calamistris velut inustam orationem malunt. unde illis saepe Cicero et Caesar prae Seneca, Plinio, Curtio fordent. ita difficilior ad imitandum est quam permulti existimant judice Cicer. loco a Rhet. nostro laudato. Cujus corruptelae hae est inprimis ratio, qui orationis subtilitatem imitabilem esse putant, ut plurimum hujus sanitatis colorem non tenent, nec sunt integra ut loquitur Cicero in Orat. c. 23. valetudine h. e. non utuntur verbis usitatissimis neq; sententiarum mode-

ratione

raône, sed verba assumunt inania sententiasq rem minuentes.

§ 400. Tertium genus est &c Tertium dicendi genus est quod inter medium exemplo Cicer. in Orat. c. 6. alio loco medium, modicum et temperatum vocat in Orat. c. 28. Ideo autem medium vel mediocre audit, quod nec acumine tenuis nec fulmine majestateq sublimis dicendi formae utitur, sed ut cimus amborum est, in neutro excellens, utriusq particeps, vel utriusq si verum quaerimus potius expers. et quid observandum sit in ejusmodi dicendi genere mediocri omnium rectissime praecepit Quintilianus optimus eloquentiae Magister XII. Instit. c. 60. Medius hic modus et translationibus crebrior et figuris erit jucundior, egressionibus amoenus, compositione aptus, sententiis dulcis, lenior tamen ut amnis quidam luci-dus et virentibus utrinq silvis inumbratus.

§ 401. In hoc igitur genere &c Hoc genere orationis modico et temperato uti debent illi, qui latas et eruditas disputationes locosve communes sine contentione scribunt, idq totum genus a Sophistarum fontibus defluxit in forum secund Cicer. in Orat. c. 27. qui vero mediocre hoc genus consectantur neq eo pervenire possunt, illi saepissime errantes perveniunt ad finitimum genus orâônis, quod veteres appellarunt fluctuans et dissolutum ideo quod sine nervis et articulis huc atq illuc vagatur vid. Mag. Herenn. IV. Rhetor. c. II.

§ 402. In hoc genere e Graecis &c In hac dicendi forma mediocri multi floruerunt apud Graecos, sed Demetrius Phalereus Ciceronis judicio praestitit ceteris in Orat. c. 26. unde etiam idem Demetrius Ciceroni I. de Offic. c. 1. dicitur disputator subtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. Eodem pacto haec forma consummata fuit ab Isocrate, tum a Philosophis Socraticis, Platone Xenophonte et aliis. inter Latinos a Cicerone in libris Rhetor. et Philosoph. praesertim ubi digressionibus utitur tanquam in Catone de agricolationis laude et praestantia a c. 15—17. item in epistolis non paucis, nec non in orationibus nonnullis tanquam pro Leg. Manil. quam hujus dictionis formae causa ipse laudavit Cicer. in Orat. c. 28.

§ 403. Atq haec sunt illa &c Sint igitur manentq trià duntaxat dicendi genera, quorum singulorum vim et rationem quùmq in singulis causis consecuti sunt, illi oratorum nomine digni sunt, idq saepius Cicero non uno in loco Rhetoricorum Libro, tanquam de Optimo Dicendi Genere c. 1 et 2. in primis vero in quarti pretii Oratore suo a c. 21 sqq. fusè inculcavit ut existimari jure possit prudentiam eloquentiae rectricem esse, neminemq alium eloquentem dici posse, nisi qui humilia subtiliter, mediocria temperate et magna graviter dixerit.

§ 404. Tenui igitur genere &c Tenue dicendi genus accommodari potest omni orationis formulae. ubi de doctrina et artium institutione agitur. porro in quibusdàm disputationibus de naturae mysteriis rebusq subtilioribus. porro in annalibus et rerum commentariis. tum epistolis non omnino omnibus, sed ejusmodi duntaxat quae inter familiares obtinent. item Dialogis, qui sunt sermonis quotidiani aemuli. tandem orationibus sive universis, in quibus res involu-

tae

tae definiendo explicantur, sive orationum partibus illis, quae ad docendum spectant, veluti narrationibus, propositionibus, confirmationibus vid. Quintil. Lib. XII. 10.

§ 405. Mediocre genus &c. Medius dicendi modus illis praecipue disputationum causis, quae ad artes publice utiles tanquam philosophiam vitae publicae et privatae prudentiamq; civilem spectant, convenit. Idem locum habet in Epistolis argumenti gravioris et ad homines eruditos scriptis. Huic quoq; generi historia proprie dicta finitima est secund. Cicer. in Orat. c. 20. tandem orationibus politicis, in quibus argumenti gravitas dignitasq; cernitur, et panegyrici generis non admodum grandis materiae, veluti in his orationibus panegyricis, ubi privatus homo, vir eruditus aliq; similes laudantur.

§ 406. Sublime denig genus &c. Genus dicendi grande sedem suam habet in omnibus orationibus panegyricis, quae spectant ad res et personas hominum illustres. tum maximis quibuspiis causis generis politici accommodatissimum est, si res magni momenti gravissimaq; vel suaseris dissuaseris vel accusaveris defenderis.

§ 407. Ceterum recte judicavit &c. Cum igitur sint haec tria orationum genera, non omnia possunt in unam dictionis formam cadere, sed temperari debent illa forma causae diversitate. nemo enim potest semper sublimis esse aut gravis, semper tenuis aut semper temperatus. imo natura certe rei jubet, nec uno loco jusit Cicero in Orat. c. 28. sqq. eloquentis esse ad id quodcunq; decebit accommodare orationem, et ut quidq; erit dicendum ita dicere. In nonnullis quidem orationibus certum quoddam dictionis genus dominatur, tanquam tenue in Cicer. Orat. pro Caecina ubi tota causa est de verbis interdicti, vel etiam temperatum regnat, veluti cum Cicero Pompejum in Manil. Orat. laudibus ornaret. vel grave i. e. sublime veluti in Orat pro Rabir. perduell. reo. item in 2. Philipp. ubi in omni genere amplificationis exarsit. Sed fieri tamen solet et debet praesertim in Orationibus politicis, ut unius Orationis pars subtiliter tenuiterq; altera temperate, tertia graviter et ample scribatur. Hac ratione variavit et temperavit Orationes suas Demosthenes pro Ctesiphonte, ubi submissius a primo, deinde pressius dum de legibus disputat, postubi judices vidit ardentes in reliquis exultavit audacius legatur Cicero in Orat. c. 31.

§ 408. Sed praeter hanc triplicem &c. Praeter haec tria orationis genera recentiores subinde Rhetores plura alia commenti sunt. nor a diversis gentibus et civitatibus sui nominata, ut Laconicum a Spartanis vel Laconibus; Atticum ab Atheniensibus; Rhodium ab insula Rhodo; Asiaticum a civitatibus Asiae minoris, tanquam Phrygiae, Cariae, aliarumq; regionum, quorum fundum se repperisse putant in Cicer. Orat. c. 8. alia rursus a quibusdam artium formulis desumta, veluti philosophicum, historicum, poëticum. alia porro a quibusdam externis formarum causis repetita, ut dialogicum, epistolicum, lapidare, alia denig in universam partem a nonnullis affectionibus, sive virtutibus sive vitiis efficta, veluti clarum, obscurum, puerum, moratum, pragmaticum aliaq; id genus formas excogitarunt. Sed totam hanc distributionem vanam et inutilem esse Rhetor Noster bene demonstravit.

§ 409.

§ 409. Jam quod ad primam &c. In dicendi formis ab aliqua gente vel civitate ductis ponitur Laconica, quae nullam veri speciem habet. nusquam enim legimus apud Spartanos eloquentiam et Oratores in honore fuisse. Si quis dubiter ei advocabo testes Ciceronem in Brut. c. 13. Vell. Paterc. Lib. I. c. 18. et Aelian. XII. Var. Histor. c. 50. Scio quidem fuisse nonnullos, qui vel Laconum Scriptores laudarent, uti Jo. Meursius in Miscell. Lacon. Lib. IV. c. IX. vel orationis et scripturae in variis rerum causis usum respiciis plebiscitorum epistolarumq; formulis et sententiis approbarent. Sed novi quoq; omnia haec argumenta ne ad opinionis quidem imbecillitatem, nedum veritatem singularis cujusdam scribendi generis vim habere. Sic ἀπαράδοτα Ephororum laudatur, qui urbe pulsus fuit Timotheus quidam fidicen, quod quatuor chordas ad septem veteres adjecisset, quod descriptum legimus in Annot. Scaligeri ad Sphaeram Barbaricam Manilii p. 385. Sed haec formula profecto nihil efficit ad integrae orationis colorem informandum. neq; inficias eo quasdam Laconum epistolas superesse veluti apud Xenoph. I. Hellen. p. m. 430. Opp. qualis etiam est Laconum epistola ad Philippum Macedonem in qua nihil aliud scriptum erat, nisi hoc: λακεδαιμονιοι φιλιππω διονυσιος ἐν κορινθω i. e. Lacedaemonii Philippo salutem! Dionysius Corinthi vid. Plutarch. de Garrulit. p. 511. Sed ejusmodi literarum genus quis quaeso in Epistolis habeat? propterea manet Laconicam dicendi formam neq; fuisse neq; esse potuisse, quoniam decerant Oratores. ejusmodi enim brevitas, ut recte alia in causa Cicero in Brut. c. 13 in universa, in qua eloquentia. Laudem non habet.

§ 410. Atticum igitur genus &c. Quanquam vero tria duntaxat ejusmodi orationis genera veteribus nota fuerunt, Atticum, Asiaticum et Rhodium: tamen alian vim habuerunt, longeq; alio valebant atq; vulgus opinatur. Hunc enim solum Atticum vocabant, qui erat tenuis et incorrupta veluti sanitate, qua virtute potissimum eminuisse Thucydidem et Lysiam censebant secund. Cicer. in Orat. c. 23. veruntamen erravisse illos multis argumentis docuit Cicero in Brut. c. 82. imo vero is est necessario. Attici, qui tribus dicendi generibus pro diversitate causarum apte et opportune utuntur h. e. qui sublimen adhibent cum vires lacerti et sanguis quaerendus est. mediocri et tenui utentur situli subtilitatem, integritatem et suavitatem sermonis imitari debent, quae Platoni et Xenophonti propria est. unde Xenophon Attica μελίττα apis Attica, si vera tradidit Suidas in voce Ξενοφων Κεκρυφαλος certe Musa Attica cognominabatur auctore Diog. Laërt. Lib. II sect. 57. Spectatur etiam ille ἀττικισμος h. e. ille urbis Athenarum color et suavitas sermonis in usu dissimulantiae Socraticae. praeterea in jocis, facetiis et salibus, unde sales Attici et urbani apud Cicer. IX. ad Divers. Epist. 15.

§ 411. Ab eo differt Asiaticum &c. Asiaticum dicendi genus ab Attico quidem discrepat, sed non eo modo ut Attico dicendi generi e diametro oppositum esse videatur, quemadmodum scribit Heineccius in Fundam. Stili. Part. I. c. 2. Sed tanquam bonis Atticis nimis redundans et copiosum. non quasi Atticum semper inor-

natum

natum et tenue esse debeat. Sed quod in Asiatico genere paulum ardentius exultat oratio. idq hactenus in vitio non est. oriri enim illud flumen potest vel ex ingenii fertilitate vel rerum multitudine. verumtamen haec adeo stricte et anguste accipienda esse negaverim, dubitaverimq an id genus vitiorum vel omnium temporum vel oratorum fuerit, vel ad universum orationis habitum pertinuerit nec ad junctaram potius et pronunciationem spectaverit. unde aures Atticorum teretes et religiosae passim opponuntur minime politis Asianorum auribus. multo minus licet hanc dictionis formam ad primarios Graeciae et Latii Oratores transferre, eandemq Demostheni et Ciceroni perperam accommodare. Imo Demosthenes ita Atticus erat, atq Athenae Atticae fuerunt teste Cicer. in Orat. c.7. Eodem pacto dici debet de Cicerone, eo ne Roman quidem ipsam magis urbanam h. e. integra valetudine adeoq Atticam esse potuisse. atqui ille fuit unus eminens inter omnes in omni genere dicendi.

§ 412. His duobus interjectum &c. Tertium nox ait Quintil. XII. Instit. c. 1. qui haec dividebant, adjecerunt genus Rhodium, quod velut medium esse, atq ex utroq mixtum volunt. Sic etiam nonnulli Ciceronem in Rhodiis Oratoribus habent. idq judicium ferri utcunq possit, si vicissim planum fieri et persuaderi nobis posset Lysiam solum Attice dixisse, vel unicum exemplar fuisse Atticae dictionis. Sed uti exrant, non qui Attice Lysiam, sed qui solum Attice h. e. ut illi opinantur tenuiter dixisse censent: ita nihil minus convenit cum natura scribendi Ciceroniana nihilq magis repugnat ejus Libris et Orationibus quam eum Rhodio duntaxat more scripsisse dixisseq opinari.

§ 413. Quod ad alterum distributionem &c. Est etiam alia in Rhetorum vulgarium Libellis usitata orationis distributio ab artium bonarum disciplina et causis petita. ita quidem ut alium esse putent ipsorum more loquendi stilum philosophicum, historicum theologicum, juridicum, medicum, illisq tot propagines commisceantur, ut quoad stilum theologicum aliud dicendi genus esse dogmaticum, aliud concionatorium esse jubeant veluti Heineccius in Fund. Stili Part. I. c. 2 paragr. 56. Quae genera formarum dictionis si locum habere possent non stilum quoq dialogicum, epistolicum et lapidarem inutiliter fingant. In omni hoc genere tenuitas orationis locum habet. neq opus est a varietate artium et librorum carminumve varietatem dictionis repetere.

§ 414. Restant formae orationis &c. Supersunt nunc illae orationis formae, quas Hermogenes singularibus Libris duobus περὶ ἰδεῶν τῆς λόγου et cogitavit et copiose descripsit a pag. 237. edit. Laur. Sunt autem numero VII. 1ma σαφήνεια i. e: perspicuitas. 2da μεγεθος i. e. amplitudo. 3a κάλλος venustas et pulcritudo 4a γοργότης i. e. celeritas. 5a ἦθος i. e. mores 6a ἀλήθεια i. e. sincera oratio et veritas et tandem 7a δεινότης i. e. gravitas et dignitas. In qua tota disputatione tametsi multa praeclara insint, neq leve operae pretium putaverit esse vir magnus Vossius cum doctrinam hanc Hermogenicam in suo majori opere Instit. Orat. Lib. VI c.7. acute et subtiliter interpretaretur: tamen id videtur Hermogeni non condonandum esse, quod ipsius orat.

us orationis virtutes singulares cum universitate characterum sive formarum miscuerat. Idq; est quod ante Rhetorem Nostrum jam Vossius et alii secundum Vossium monuerunt. Sane si hujusmodi affectiones singularum dicendi formarum genitrices esse possunt, quot innumerabilia paene dicendi genera non orientur? ita enim oratio dilucida, probabilis, illustris suavis apud Cicer. in Orat. Partit. c. 6. erunt diversa quaedam dicendi genera. Eodem pacto, acuta, nitida, copiosa, hilaris, jucunda apud Quintil. Lib. VI c. 3. nec non copiosa, sicca, pinguis, florida apud Macrob. V. Saturn. c. 1. dissimiles quosdam dicendi formas mirabili partu edent, quod tamen rei naturae adversatur.

§ 415. Perspicuitas igitur est &c. Quod igitur attinet ad illam affectionem primam ἑαφνειαν Hermogenis i. e. perspicuitatem. perspicuitas duplicis est generis, cernitur q. vel in rebus vel in verbis. perspicuitas in verbis quomodo fiat teneaturve aut impediri negligive soleat antea jam demonstratum est ad parag. 309 et 10. perspicuitas vero in sententiis et rebus e justa et legitima argumentandi exemplorumq; popularitate eorumq; argumentorum exornatione et amplificatione, quae vero perspicuitati opponitur, obscuritas, e natura contrariorum intelligitur. fit enim verbis ab usu remotis in contexta et continuatione sermonis item turba inanium verborum vid. oão Quintil. VIII c. 2. Ad perspicuitatem vulgo referunt brevitatem, veluti Heinecc. in Fundam. Stili Part. 1. c. 2. verum uti a Pfnero ad illum locum jure reprehensus est, ita tenendum oão brevitatis vim esse in utramq partem, ut si legitima et integra sit, orationem illustret contra si alieno loco adhibetur, orationi tenebras offundat. Quoniam igitur non pauci in judicio brevitatis labuntur et eloquentiae intelligentibus risum debeant, non inconsultum putavit esse Rhetor Noster illos vitio creatos censores in ordinem cogere.

§ 416. Brevitas quae sit in narrando &c. Quae natura et virtus brevitatis sit in narrando, alio loco supra a Rhetore indicatum est parag. 195 et 96. Nunc quoniam Rhetori visum est vulgaria judicia de brevitate regere, universe etiam leges quasdam condere placet, unde brevitatis ratio intelligi possit. Primum id constat. uti omnes res habent duas ansas: ita brevitatis notionem aliquid ambiguitatis secum ferre, nec simpliciter et nude positam, sed instituta demum rerum et hominum comparatione definiri posse. uti enim duo rerum argumenta sunt vel docendi vel persuadendi fine comparata: ita etiam duplicis generis homines esse solent. alii docti, alii indocti saltem semidocti adeoq; vel difficiliori ingenio vel de populo, neutrubi committendum est ut ejusmodi sit brevitas quae vel perspicuitati obsit vel persuasionis vim debiliter. Si quis igitur

in docendo

in docendo versatur, tantum afferet sententiarum et verborum, quantum necesse et satis erit. habebit enim judices rerum non ignaros. Si quis contra verba faciat ad populum, aliam brevitatis rationem consectari debet, scilicet abstinere debebit concisis nimio acumine sententiis, non celeriter percurret, sed consistet aliquando et morabitur in una re, neq; plures frustra coacervabit. verumtamen omnis haec brevitas pendet a prudentia Oratoris. nam leges quasdam universas singulis admetiri causis nullius est nisi Oratoris usu rerum subacti. Interim nemo existimet denegari posse brevitatis laudem Demostheni et Ciceroni duobus illis eloquentiae luminibus, qui enim hodie Ciceronem Asiaticae abundantiae insimulant, illi hoc judicio nihil se scire fatentur.

§ 417. Brevitati in rebus &c Brevitatis hujus anima quoad sententias, est solers rerum electio relictis et praeteritis omnibus iis, quae omissae non modo non impediunt fidem, sed etiam caliginem, quam interdum cumulus rerum inducit, tollunt, in primis si tota causa pertentata et perspecta est, veluti in narrationibus, in quibus Ciceronem longissime praestitisse Tacito et Plinio nemini dubium videbitur nisi de causis artium leviter judicanti. 2do loco quoad verba, brevitatis genitrix est ellipsis id est, quaedam nominum, verborum et particularum detractio, quam eleganter loquentium consuetudo subinde amat, aut etiam animi incitâs jubet. tum frigidorum inaniumq; epithetorum fuga. tandem diligens observatio eorum, quae contraria sunt copiae et dilatationi, veluti si nomen cuiq; rei et hominis personae proprium expresseris nullaq; vel periphrasi vel definitione vel distributione usus fueris, quae omnia sunt copiae alimenta. utrumq; vero brevitatis genus maxime adjuvat justa verborum comprehensio conglutinatioq; periodorum causis nata et participiorum beneficio apte vincta, cujus inprimis ope copiosissima aliorum et membratim fusa oratio in exiguos angustosq; fines cogi potest. Unde hi erroris non mediocris facillime convincuntur, qui ubi viderint dictionem per incisa et membra procurrentem et dissolutam velut in Seneca, Tacito et Plinio, ibi brevitatem orationis esse sibi et aliis imperite persuadent. Ciceronem contra nescio cujus ventosae et Asiaticae redundantiae accusant, quod crebris, interdum longioribus periodis usus est.

§ 418, 419. Sed ut justa illa &c In ipso tamen hoc brevitatis usu duo potissimum quasi scopulos fugiendos esse puto. alter est, ne semper et ubiq; brevitati studeamus. alter ne orationem sic contrahamus ut obscuritas inde nascatur. Quod ad primam cautionis legem attinet, ineptum sane foret brevitatem ubiq; promiscue sine ullo causae vel loci discrimine consectari. quoniam brevitas, ut ait Cicero in Brut. c. 13. laus quidem est interdum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet. Uti enim vitium est quod subtiliter duntaxat et clare demonstrari doceriq; possit, id uberrimo orationis quodam flumine inundari verius quam irrigari: ita rationi et eloquentiae initiis valde adversatur in delectando et movendo ex angustiis in late patentem campum orationem non educi. aliquando igitur brevitate quam maxime opus est, interdum etiam obest. Quod ad alteram cautionem attinet cavendum omnino est, ne nimium corripientes omnia, ut loquitur Quintil. IV. Instit. c. 2. sequatur obscuritas

scuritas, satiusq; est aliquid superesse quam deesse. nam supervacua cum taedio dicuntur, necessaria cum periculo claritatis subtrahuntur. quare vitanda etiam illa Sallustiana brevitas, et abruptum sermonis genus, quod quidem otiosum lectorem non fallit, audientis vero aures transvolat. vel sic tamen nonnulli sunt, qui reconditi sensus opinione et pulcritudine decepti et conclusiunculis orationis obscuri ut ait Quintil. Lib. X c. 2. Sallustium atq; Thucydidem superent. quomodo autem judicare non oporteat de obscuritate quae interdum non scribentis aut dicentis culpa, sed legentis imperitia esse solet optime docebit Gesnerus ad Heinecc. Fundam. Stili Part. 1. c. 2.

§ 420. Magnitudo et concitatio &c. In ceteris Hermogenianarum idearum sive formarum generibus non plus veritatis inest, quam in priori. secunda enim et quarta h. e. μεγεθος magnitudo et γοργοτης i. e. celeritas vel concitata oratio certissimae sunt sublimitatis velut pedissequae. quandoquidem magnitudo quoad rerum et sententiarum inventionem ex primo fonte altitudinis h. e. ipsius animi excelsi sensibus manat. velocitas contra alteram sublimitatis causam, quae est in magnis et generosis affectibus tanquam sui genitricem habet. unde orationis quoddam discriminis simulacrum nasci unusquisq; sua sponte intelligit. illa enim tardiusculo velut gradu incedit, splendorem et ornatum in troporum et figurarum gravitate et in regali juncturae dignitate quaerens. haec contra velut ra et incitatior amnis omnia secum celeriter rapit, audacioribus figuris utitur et orationem membratim et incise propellit verius quam emittit. De quarta vero hac Hermogenis idea sive de oratione concitata legatur Vossius VI. Instit. Orat. c. 7. Neq; pulcritudo singularem habet formam, sed mediocris dicendi generis comes et virtus est. quae tum demum oculos et aures demulcet, si florenti illo et exposito genere quale istud intermedium sive mediocre est recte quis et cum dignitate usus fuerit. Eodem pacto propriam sedem et locum assignare moratae orationi profecto non est necesse. nisi quis verbis ludificetur. quandoquidem communis ea omnium dicentium dos est, ut de dicentium ingenio et natura constet, et audientium opinionibus judiciove quis obsequatur. deniq; ut eorum de quibus agitur mores sententiis et dictione exprimantur. qua vero via et ratione morata oratio exoriri possit, indicabitur ad Part. 1. paragr. 113. Deniq; decora oratio rursus haudquaquam sibi privam orationis faciem et colorem vindicabit, utpote quae per omnia dicendi genera aequabiliter fusa est, et unicuiq; oriturum ex eo, quod decet, quodq; aptum est, laudem comparat. Quae cum ita sint, ut sunt sane verissima, nemo nunc mirabitur cur Aristot. III. Rhetor. c. 12. existimaverit dictionis varias formas praeter Demonstrat. Deliberat. et Judicialem esse inutiles et vanas ait autem

Equidem Rhetorices praeceptiones verbis Mag. Herenn. IV. Rhetor. c. 56. claudam et obsignabo; Demonstratum est, inquit quomodo res in omnibus generibus causarum inveniri oporteat. Dictum est, quo pacto eas disponere conveniat &c.

„niat. Traditum est qua ratione esset pronunciandum. Praeceptum est, qua via „meminisse possemus. Demonstratum est, quibus modis perfecta elocutio compara„retur. Quae si sequimur, acute et cito reperiemus: distincte et ordinate dispo„nemus: graviter et venuste pronunciabimus: firme et perpetuo meminerimus: „ornate et suaviter eloquemur. Ergo amplius in arte rhetorica nihil est. Haec „omnia adipiscemur, si rationes praeceptionis diligentia consequemur exercita„tionis.

Finis Partis IIdae